ADVERSARIUS DEI ET LEGIS

SIVE

NOVATOR BELGICUS

EXHIBITUS

PER

HENRICUM A MARCA

THEOLOGUM.

Vindica me de Adversario.
Lucæ 18.

* *
*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis EGMONTIANIS M. DC. LXXIX.

Cum Approbatione.



AMICO ET CATHOLICO LECTORI.

AMICE LECTOR,

N*On dubito quin legeris* Unitatem Dogmaticam & Politicam, *atque ex illa didiceris malam intentionem illorum, qui sine ullo Mandato volunt (ut jactitant) Ecclesiam Belgicam reformare, legisti etiam* Ignem fatuum, *& animadvertisti inordinatam horum charitatem; exhibitæ tibi sunt Epistolæ D. Pauli & D. Augustini, & cognovisti, quàm immeritò sese D. Pauli & D. Augustini Discipulos dicunt Novæ Factionis Auctores; quod autem Nova sit Factio & ore, & factis, & calamo ostendunt, quamvis latenter venenum suæ Hæreseos dispergere intendant, ut autem magis ab hujusmodi abhorreas, sisto tibi Adversarium Legis & Prophetarum, non illum contra quem olim scripsit Magnus Augustinus, sed ut verum fa-*

tear, huic non absimilem, modernum scilicèt quoddam Novatorum Genus, quod nescio quo fanatico spiritu Reformationem molitur in Ecclesia Dei. Fallor! Quid illam Reformationem appello? Morum corruptionem verius ipsam dixero, vel si mavis Legis & Prophetarum contemptum. Vel adeò enimverò in Legem Dei impii sunt hujus farinæ homines, ut toti Decalogo adversari non erubescant, modò præbeant suo intento adminiculum. Sed miraris & obstupescis, ut opinor, ad hæc verba mea, Amice Lector? non est quod mireris, &. nè amplius mireris, singula Decalogi Præcepta obiter percurram, ostendamque quod hoc genus hominum ex toto universæ Legi, & Prophetis adversetur: idque non in spiritu contradictionis, sed in manifesta-

Tim.2. *tione veritatis, tùm ut* si Deus fortè det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem, *tùm ut aliorum vox illa cesset cla-*

u. 18. *mare* Vindica me de Adversario.

Adver-

Adverſarius Legis & Prophetarum primo Decalogi Præcepto adverſatur.

Ego ſum Dominus Deus tuus non habebis Deos alienos. Exod. 21.

NOmine Legis communiter venit apud omnes Decalogus: nam primum & maximum Mandatum de dilectione Dei, & ſecundum ſimile huic de dilectione proximi, à quibus duobus univerſa Lex pendet & Prophetæ, binis Tabulis proprio digito inſcripta Moyſi Hæbræorum Legiſlatori tradidit Deus. Cujus prioris Tabulæ tria, ſeptem autem poſterioris Præcepta numerant paſſim omnes, tria nempè prioris ad Dei, ſeptem verò poſterioris Tabulæ ad proximi dilectionem pertinentia. Præceptum de diligendo Deo tribus modis tranſgredi nos contingit, corde, ore, opere, tribus ideò Præceptis tranſgreſſionem hanc prohibet. Primò eam quæ fit corde, ſecun- *Exod.*

 dò

dò quæ fit ore, tertiò quæ fit opere. Corde de colendo Deo Legem transgredimur, si Deos habeamus alienos, si faciamus nobis sculptile aut similitudinem aliquam. Hæc tria primo Præcepto Deus fieri vetat dicens: Non habebis Deos alienos coram me non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in Cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt sub aquis, sub terra non adorabis ea neque coles. Quibus omnibus Idololatriam prohibet Deus noster Zelotes. Sunt qui inter Deos alienos, & inter sculptile discrimen hoc faciunt, ut spiritalem per illos, & internam, per hoc verò crassam & externam Idololatriam significari volunt. Est enim duplex Idololatria, lapidum una, cordis altera; sed utraque hoc Præcepto prohibetur.

Vincentius Lyrinensis aliena ab Ecclesia Dogmata Vetus Testamentum Deos alienos appellare scribit, quod ab Hæreticis & Novatoribus ipsorum opiniones haud aliter observentur quàm à Gentilibus Dii sui. Per *Deos alienos* extraneos errores dicit significari, novos quosdam & inauditos quos nonnunquam spargi patitur Deus, ut probet constantiam no-

stram

ſtram in diligendo ſe, & in adhærendo ſanæ doctrinæ: ex quibus omnibus paſſim perſpicuum eſt, non ſolùm peccari contra primum primæ Tabulæ Præceptum cùm adorantur Idola manu facta; verùm etiam cùm adorantur Idola phantaſmatum, multòque deteriorem eſſe Simulachrorum cultum, quo ſua quis phantaſmata colit, & quo ſuas impoſturas pro puro verbo Dei populo venditat, quam ſit is cultus quem ſuis gentes præſtant Simulacris. An non igitur Novatorem modernum Adverſarium Legis veræ dixerim? An non ipſum contra hoc primum Decalogi Præceptum peccare rectè affirmavero? Quid enim faciunt aliud hoc genus hominis, quàm quod ſcribit Hieronymus *Pro Chriſto adorant Ante-Chriſtum*, id eſt, *pro veritate mendacium*. Ideò ut verificetur illud Sancti Hilarii. Hoc nunc ſub opinione falſæ pietatis efficitur. Hoc ſub ſpecie Prædicationis Evangelicæ laborant, ut Dominus Jeſus Chriſtus, dum prædicari videtur, denegetur. Quod docemus (inquiunt) purum eſt verbum Dei, ipſâ antiquitate ſacratum. Priſtinos primitivæ Eccleſiæ Canones lapſu temporis in oblivionem dilapſos reſtitue- *Lib. Cant. Auren.*

re, & quasi ex sepulchro oblivionis resurgere facimus, Senescentem Ecclesiam antiquo ejus vigori & fervori reddere conamur. Sic varii varia in vulgus spargunt, Idola, quæ adorant & coram quibus incurvantur. Quid enim ex eo consequitur, quàm quod tot sibi Deos isti habeant, quot Dogmata falsa tuentur. Peccant igitur contra Præceptum hoc, qui & colunt ipsa sua phantasmata, & coli volunt ab aliis tamquam Idola, & quod ipsi sentiunt, Dei verbum vocant & Evangelium, ut sic eveniat quod à Propheta
Psalm. 48. scriptum est. *Vocaverunt in terris nomina sua.*

Novatores nostri cupientes & ipsi Dogmata sua quasi Idola adorari, verbo suo Verbi Dei puri titulum prætendunt, atque ut purum Verbum Dei vocaretur ab omnibus, varios libellos emittunt speciosis titulis, & maximè Christianis condecoratos; utpotè: *Miroir de la pieté Chrêtienne. Catechisme de la Grace*, vel, *Eclaircissement sur quelques difficultés touchant la grace.* Et multa id genus alia digna incendio flabella. Numquid hæc Idololatria? Oracula æternæ Sapientiæ falli nescia seipsos habere vellent, & si possent,

Dogmata

Dogmata ſua pro Decretis æternæ Veritatis populo venditarent. Neque verò ipſi tantùm Novatores, ſed & qui Dogmata eorum recipiunt, atque ea tamquam purum Dei Verbum amplectuntur, violati Præcepti hujus rei ſunt.

Porrò non ſolùm hoc primum primæ Tabulæ Præceptum Idololatriam ſeu Cultum falſorum Deorum prohibet & damnat, ſed etiam ſuperſtitioſum ac omnem deniquè Cultum impium. Nullus magis ſuperſtitioſus cultus quàm inordinatâ charitate, qualem Adverſarii præ ſe ferunt, Deum colere, uti nuper ad oculum oſtendit in Igne ſuo fatuo Auctor quidam Anonymus; cujus dictis illud unicum Apoſtoli addam: *Pereunt*, ſcilicèt Novatores, *eoquod Charitatem Veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent.* 2. Theſſ. 2. Duplex etenim à Theologis aſſignari ſolet ſuperſtitioſus Cultus Divinus, ſed in Novatoribus noſtris dupliciter verus. Primus qui exhibetur Deo cultus falſus ac proindè perniciosus. Secundus qui exhibetur Deo cultus ſuperfluus, etſi fortè alioquin verus, quis neget Cultum falſum eſſe, & proindè perniciosum Novitates ſub antiquitatis larva proponere, invidiam ſub

ſpecioſo

ſpecioſo Charitatis titulo tegere, & mendacia ſua ſub nomine Evangelicæ Veritatis plebeculæ venditare. Quis non videt hunc ſuperfluum cultum eorum eſſe qui Sanctorum Statuas & Imagines ex Proceſſionibus ablegari volunt, in quibus circumfertur Agnus Euchariſticus veteri & perantiquo more Catholicorum, & hoc ideò ſolùm nè ex hoc Sanctarum Imaginum comitatu honori divino derogetur; quaſi verò Rex magis honoretur & triumphet abſque Nobilibus atque Proceribus, Dux ſine Capitaneis ac Militibus, Victor non comitantibus ſpoliis, Redemptor non collætantibus ac exultantibus liberatis, Chriſtus, inquam, abſque Sanctis. Superfluus cultus eſt: at quàm parùm fundata hæc Doctrina oſtenderunt nuper Notulæ in Decretum Illuſtriſſimi Mechlinienſis, exhibuit Excellentiſſimus Dux De Villa-Hermoſa Patriæ Gubernator, declaravit Illuſtriſſimus Internuntius, dum nonobſtante illo Decreto RR. PP. Carmelitis juſſerint in ultimo Feſto S. Scapularis Proceſſionem moribus antiquis tenere diſpoſitiones illas in Adminiſtratione, ſive Suſceptione Sacramentorum, maximè Pœnitentiæ & Euchariſtiæ,

chariſtiæ, requirere, quas nunquam Eccleſia in Adminiſtrantibus ſivè Suſcipientibus illa exquiſivit, multò minus docuit. Sufficiunt intelligentibus pauca, nec mihi eſt animus ſingula ad calculum revocare, ſed ſolùm Adverſarium Legis & Prophetarum quaſi in rudi tabella obumbratili colore depingere, accuratiorem poſtmodùm, cùm otium mihi fuerit, illius effigiem daturus. Primo hoc Præcepto prohiberi quidam Acatholici putant Sanctorum Incocationem, & Imaginum Venerationem, nè honor Deo debitus, creaturæ impendatur (ut aiunt) eadem eſt præcautio Novatorum noſtrorum ſivè Ichonomacorum: ideò Author *Monitorum ſalutarium* omnem Cultum Virginis ex hominum animis deletum cupit, nè ut Dea quædam Divino Cultu in præjudicium Dei immortalis & inviſibilis cui ſoli honor & gloria, coletur. Ideò etiam illius Aſſeclæ Hagiomachi ſivè Iconomachi omnes Sacras Imagines omni cultu & reverentiâ orbari debere prædicant, nè creatura pro Creatore ab indiſcretis cultoribus honoretur. Sed quid indè periculi, cùm (ut ait Baſilius) *nemo tàm ſit lapis ut lapidibus & lignis ineſſe putet Divinitatem*

Divinitatem aliquam ; nec unquam quis creaturam pro Creatore veneratus ſit, niſi
Syn. 7. Gentilis & Paganus. Hinc Præcepto huic
Actio 7. *Non facies tibi ſculptile* , cauſa mox addi-
Syn. 8. tur , *ut adores illud* ; videlicèt Ethnico-
Actio 10. rum more , qui falſorum Deorum ſtatuunt ſimulacra , & Idola ſua impiè colunt, nos autem in imaginibus Chriſtum & Sanctos quos repræſentant pio à majoribus tradito more veneramur ; etiam in præſentia & concomitatu Agni Euchariſtici , nam illi eum ibidem, ut relucentem quemdam Solem velut ſidera quædam lucidiſſima concomitantur. Quapropter olim monuit ſapienter mæcenas vir gravis CæſaremOctavianum apud Dion. lib. 12. Hiſt. Deum ſemper & ubique cole ut moribus Patriæ eſt receptum , ad eundemque Cultum alios compelle ; peregrinarum verò Religionum, authores odio & ſupplicio proſequere, non modò eorum gratiâ, quos qui contemnunt,haud dubiè nihil quoque magni faciunt ; ſed propterea qui nova Numina introducunt, multos ad utendum peregrinis Legibus alliciunt, & merito,nam facilis à Religione non accuratè exculta da ſuperſtitionem ſternitur via , & ſpecioſum Religionis nomen à pluribus uſurpatur

patur ad tegendas imposturas impietatis & sceleratam Idololatriam. Hinc Princeps Christianus, si nomini suo respondere velit officioque persungi, nullatenùs debet in suo Regnò aut Principatu, diversarum ac inter se pugnantium Sectarum homines pati, sed potissimùm in eam curam incumbat, qui Dei Cultum integrum purumque conservet. *Quia omnis qui dixerit prater ea qua tradita sunt, quaque Ecclesia Catholica asserit, nullâ fide dignus sit, tametsi jejunet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat in grege ovium corruptionem faciens.* Nam quemadmodùm serpens Evam seduxit, promittens ei quod non habebat; sic Novatores prætendentes Reformationem Ecclesiæ, seu novum Christianismum, in mortem demergunt sibi credentes. Neque minùs graviter contra hoc primum Præceptum Decalogi peccant, qui solo spiritu omnia Religionis officia peragi volunt, & exteriora quæque pietatis officia Pharisaïcæ superstitionis vel hipocrisis insimulant, non secùs ac si humanam naturam quasi *communem spiritu & corpore constitutam* mirabili & hactenùs inauditâ Metamorphosi in

Ribadineira lib. 1. c. 17. in princ. Christ.

Ignatius in Epist. ad Heronem.

in purum ſpiritum transformari vellent. Qui tamen Cultus externus Deo longè eſt gratiſſimus, & illi oppoſitus planè ſuperſtitioſus. *Si Filii Abrahæ*, inquit, *eſtis, opera Abrahæ facite.* Quamobrem vocem Evangelii ſuperſtitiosè negant, qui Deum non externis pietatis operibus, ſed ſolo ſpiritu colendum prædicant. Poſſem adhuc plures modos, quibus contra hoc Præceptum venitur ab Adverſario enumerando recenſere, ſed hiſce ſuperſedeo: noſtis (ut opinor) ex ungue leonem. Ad ſecundum properemus.



Adverſarius Legis & Prophetarum ſecundo Decalogi Præcepto adverſatur.

Non aſſumes Nomen Domini Dei tui in vanum, &c.

PRimo loco, corde, ſecundo prohibemur ore tranſgredi Præceptum hoc magnum, & quaſi Legis univerſæ ſummam de diligendo Deo. *Non aſſumes*, inquit, *Nomen Domini Dei tui in vanum, &c.* Qui diligit & colit aliquem, non

meminit

meminit illius aut eorum omnium qui singulariter illius sunt, nisi reverenter & cum quadam etiam honoris demonstratione; cùm itaquè diligere & colere Deum nos oporteat præ cunctis aliis necesse est, ut cum summa reverentia Nomen ejus usurpemus, neque id in alios quàm decet tantam Majestatem usus conferamus. Quod faciunt ii qui Sacro-Sancta Scripturæ Verba tàm humili loco habent, ut ea in omnium etiam indoctarum mulierculaerum ore versari volunt. Scriptura semper etiam ipsis Apostolis fuit Mysterium Regis absconditum, modò per Novatores factum est populare oblectamentum. Arcana Dei solis Theologis commissa erant, nec ulli alii vel edis.ere, vel indagare ea licuit; sivè is Plato, sivè Socrates, aut alius sapientiâ celebris fuisset, nos verò, qui purum pietatis mysterium profitemur, ita prophanari res divinas facimus, ut ipsemet quemdam Novatorum audiverim dicentem, se omnibus votis velle diem videre, quo nullum Codicem præter Scripturam ab omnibus Christi Fidelibus legi pateretur. Heu mihi quomodò hæc non sapiunt Calvinismum, & Lutheranismum redolent. Sed capis quo

tendant

tendant hæc vota Novatorum ? Non aliò hæc tendunt, nisi ut cæcas hominum mentes, ipsi cæcorum duces, adhuc magis excæcarent, irradiante Sacrarum Scripturarum splendore, nè tenebras Dogmatum suorum aspicere possent. Signis enim aliquem lippis & caligantibus oculis meridianum solem obtuto aspectu intueri facit, non adfert ægris oculis remedium, sed illos trahit in pejus malum. Ideò ut lumen tenebras, & tenebras lumen autument: sic faciunt Novatores, unumquemque de plebe utriusque sexus volumen Scripturarum pervolvere faciunt, ut eorum ex nimio divini eloquii splendore caligantibus oculis, faciliùs illis suas tenebras obtrudent, & sic in miserandum & caliginosum suæ Doctrinæ cahos pertraherent. In quo adimpletum videmus illud Salvatoris apud Matth. *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Secundo adhuc magis huic Præcepto adversatur, qui Sacram Scripturam, corruptâ Hæreticorum scabie, polluunt, & sic pollutam populo legendam proponunt; qualis est illa gallica Novi Testamenti Translatio, primò Montibus Hannoniæ, dein Bruxellis impressa. Quantum

mali

mali causaverit, testatur Monasterium S. Ursulæ, testantur tot Abbatiæ Monialium (ubi inductione Novatorum, hoc Hæreticum Testamentum tempore refectionis prælegebatur; sciunt & agnoscunt & deplorant Moniales aliquæ Cœnobii S. Elizabethæ Bruxellis, quæ à Novatore quodam jussæ sunt ex eodem, pro satisfactione sacramentali, caput quoddam relegere, & hoc non obstante Decreto & Condemnatione Sanctissimi Domini; at quid dicam? Noscas, Lector, respectum & obedientiam erga Christi Vicarium Novatorum, ex litteris, quas nuper scripsit ad suum nequitiæ Collegam, Gandavi habitantem, eximius quidam: hæc sunt verba: *Antistes Romanus iterùm aliquam Bullam edidit pro Carmelitis* (non dignatur apponere nomen Sanctissimi Domini) *sed mi frater, Bullas Pontificum, ut stercora deaurata, recipe.* En verba Reformatoris, en Mysterium zelosissimi Doctoris; quæ utinam ab aliquo tempore tàm authenticè constitissent, Belgium ipsum amplius non ingemisceret. Hanc eandem animarum pestem novit & curavit Fidei Defensor Ludovicus XIIII. Galliarum Rex, qui à duobus mensibus, dum

 sibi

sibi per R. P. Confessarium innotuisset, Delphino præcedenti vesperi Caput aliquod ex Hæretico hoc Testamento per Pedagogum Jansenistam maximum fuisse prælectum, deincepsque singulis vesperis prælegendum, ut veneno animæ, sic regium & religiosum inficeret Regni successoris animum, omnibus insciis involavit cubiculum, nequitiam invenit, dixitque. O nefariè! ideònè tibi Galliæ Delphinum commisi, ut Hæreticum redderes? Confusus & semi mortuus Pedagogus jamjam puniēdus severiùs Delphinum habuit intercessorem ex eo quòd secundæ solùm vices essent; at dignas equidem luet.

Attendisti Novator quid Pedagogus Delphini intenderit, & quomodo res successerit? Hallucinaris, mihi videtur, ex eo quod ipsum Pedagogum indigitaverim; noli turbari, ecce nomen viri, sivè is Pedagogi nomine, sivè Gubernatoris veniat, est Dominus Dux Montauserius Normandiæ Gubernator: puto quod tibi satis notus, tàm te tuamque gentem amat.

En fructus novæ & prætensæ Reformationis: Calvinismus circa Montes Hannoniæ in Pagis, ac circumjacentibus ter-

ris

tis dilatatus, itaut & Ministri Hæretici sermonem publicè tandem ad populum habuerint, ac multos à vera Fide avertérint, eòque malum illud pervenit, ut Illustrissimus Cameracensis, pro zelo suo, plures miserit RR. PP. è Societate Jesu, qui quotidiè in illis Pagis munia obirent Apostolica; catechisando & concionando, hominesque perversos ad veram Fidem convertendo: sanam Sanctamque Doctrinam contra Calvinistas & Jansenistas proponendo. Miraris, Lector, mirari desine Calvinismum accrescentem, nam Calvini Librum venenatum & in manibus & in corde plurimorum Jansenistarum, etiam Antistitum, versatur. Hinc quinque prognatæ Propositiones Cornelii Jansenii, qui dum continuò Calvinum legeret, sæpius nè pergeret admonitis à viro cordato sibi familiarissimo desistere noluit, donec cecidit. Juramentum hujus viri scriptum restat authenticum Parisiis in Collegio Societatis Jesu Claræmontano.

Quid ais numquid hujusmodi assumunt nomen Domini Dei sui in vanum, dum sub specie Divini Eloquii humanas Doctrinas & Fabulationes divulgant? dum mendacia sua non nisi à Patre mendacio-

rum orta, ſub æternæ & incommutabilis veritatis Scriptura contegunt, non ſecùs ac monetarum adulteratores ferrum aut aliud quoddam vile metallum puri auri fulgore veſtiunt, ut civium illudant oculis & crumenis. In vanum, quin imò Hæreticè aſſumunt Nomen Domini, qui perniciosis, & à Sede Apoſtolicâ damnatis Doctrinis, neſcio quâ temeritate, Evangelium Chriſti aſſumunt, & ſub illius larva falſa ſua Dogmata in plebem ſpargunt. Ab ejuſmodi Prophetis ſuos Fideles præmonuit ipſa Veritas, dum aït: *Surgent enim*
Matth. 24. *Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Prophetæ; tunc ſi quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic: nolite credere.*

Ad hoc ſecundum Præceptum referunt Theologi blaſphemiam, utpotè huic Præcepto adverſantem. Blaſphemia autem eſt, contumeliam dicere in Sanctos & res ſacras; quamquam Novatores perſuadent malum, ut bonum complecti per Sanctorum Patrum & Synodorum ſuavem nominis appellationem, plena ſunt equidem eorum ſcripta improperiis in Patres, quos erroris, contradictionis & tenebrarum accuſant, ut liberius jugum authoritatis excutiant. Janſenius omnes Patres

tres Augustino anteriores passim erroris Pelagiani & Semi-Pelagiani insimulat: quin imò ipsi Augustino, quem ex omnibus venerandum delegit, falsas & damnatas sententias affingit, nihil veritus ei errores plures ascribere variis locis. ut tom. 1. lib. 8. c. 15. item libro 3. de statu naturæ puræ c. 19. Augustini dicit esse sententiam, quæ judicio suo *ad diversas impietates, & blasphemiam in Deum ad Manichæismum cogit.* In quadam Epistola ad Sancyranum datâ 5. Martii 1627. dicit quod sibi nauseat S. Thomas, postquam exsuxit Augustinum. Quid vobis videtur? Numquid hæc blasphemiæ, quæ tantam contumeliam in tantos viros & Sanctos, plenis buccis effutiunt, nec pauciores sunt ejus asseclæ in effutiendo dictis & scriptis contumelias in Sanctos Patres & Concilia Eucumenica, Sanctissimorum Pontificum & Doctorum sanctitate sacro-sancta. Non opus est illa omnia enumerando recensere, sat nota sunt omnibus modernarum contentionum studiosis.

Post blasphemiam, solent Theologi in hoc Præcepto de juramento tractare; sed an Novatores nostros, quos blasphe-

 mos

mos vidimus, perjuros videbimus? Magna Theologorum est in propugnanda & proponenda veritate obligatio, quæ manifesta est ex eorum professione, quâ utiquè astringuntur ad veritates Catholicas tuendas & elucidandas. Agnovit hoc Facultas Theologica Lovaniensis in condemnatione Doctrinæ Lutheri. *Quamvis omnes omninò Christiani ad Fidei & Sacræ Doctrinæ defensionem; Christo, cui nomen dederunt, & cujus Sacramento ligantur, sint adstricti: ad id tamen obligatiores esse constat, quos Sacra Theologiæ professio specialius stringit; istos enim oportet esse potentes, in opere, & sermone, ut per Sacram Doctrinam contradicentes redarguant, & pro Domo Israël se murum opponant* Hinc etiam ejusdem Facultatis communi lege sancitum est, nemini Academicorum licere Gradum facere Theologicum, nisi promissâ & ejuratâ Religiosâ Observantiâ Constitutionum Innocentii X. & Alexandri VII. Pontificum Propositiones quinque proscribentium *in sensu ab authore intento.* Idem in Sorbona decretum est, ut nemo posthac aut è Doctoribus ad Comitia aut è Baccalaureis ad ullos actus Theologicos, aut è Theologiæ Candidatis, ad respondendum admitteretur;


Litt. A-post ad Facult. Theol. Lovan. 17. Aug. 1660.

mitteretur; nisi ante huic Censuræ subscripsisset, & nullâ exceptione aut restrictione admissâ præsc ipsis verbis jurasset in Constitutionem Alexandri Pontificis Propositiones quinque damnatas in sensu ab Authore intento. Sed an hujus juramenti sui præstiti tenaces & observantes ausim dicere Novatores nostros? Prohibet me communis eorum Altercatio de quæstione facti, & doctrina eorum vulgaris de famoso Commate abollendo in Bulla Pii V. à Jansenio promulgata, & magno Novatorum consensu adhuc retenta, aliaque plurima abjuratis Doctrinis adminicula. Quam non sacro-sanctè per totum Belgium ab universo populo & Clero in Sanctam & Immaculatam Virginis Conceptionem juratum fuit: quasi non se voto obstrinxere omnes ad propugnandam hanc ab omni labe originali Virginis Conceptionem; sed ubi nunc vota illa? Ubi jurata fides Novatorum? obliti sunt, ni fallor, juramenti sancti sui, aut si adhuc memores sunt, quis illos juratam fidem servare dixerit? cùm illam quasi Monachalem fabulam exsibilant, & ad illius memoriam ex hominum animis penitùs exstirpandam, Officium Immaculatæ Conceptionis

Litt. Apost. Clem. IX. ad Episc. Andegav. Bellovac. &c.

 ceptionis

ceptionis ex fidelium libris, & libellis, sacrilego ausu, dilacerant. Non minùs itaquè secundo, quàm primo Decalogi Præcepto adversari vides Adversarium Legis & Prophetarum, ad tertium & ultimum primæ Tabulæ nostra procedat oratio.



Adversarius Legis & Prophetarum tertio Decalogi Præcepto adversatur.

Memento ut Diem Sabbathi sanctifices.

QUemadmodùm diligere Deum, & colere corde, & ore jubemur, & quemadmodùm etiam utroque contra Præceptum hoc peccetur ab Adversario, paucis jam à nobis demonstratum est. Restat nunc, ut quemadmodùm opere Deus diligendus & colendus sit, breviter disseramus. Hac de re tertium est Mandatum: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*: quo jubemur Festa sanctificare; est in hoc Præcepto quod ad Ceremoniam, est quod ad mores pertinet, & quamquam quod

ceremo-

ceremoniale erat, ablatum fuit, & quod morale erat, remansit, quod in externis quibusdam Religiosis actibus, versus Dei & Sanctorum Cultum consistit, ipsis Dominicis & Festivis Diebus præcipuè exercendis. Quales sunt Sacramentorum Frequentationes, Templorum & Altarium Ornatus, Imaginum Cultus, Benedictiones & Expositiones Venerabilis, Processiones, Confraternitates, Sodalitates, ad Loca Sacra Peregrinationes, & cæteræ ejusmodi Devotiones, quibus omnibus in quantum adversentur Adversarii, plus satis mundo innotescit. Quoad *Sacramentorum* Frequentationes, quid non moliuntur, ut illas è medio tollant. Quod attinet Sacramentum Pœnitentiæ, Frequentem venialium Confessionem pro justis improbant, vel si non omninò improbant, illam inutilem, utpotè sine subsequenti Absolutione esse volunt, & hoc ad normam primitivæ Ecclesiæ, ubi Christiani (ut aiunt) non confitebantur peccata venialia; quasi verò illa non forent materia idonea Sacramenti Pœnitentiæ. Pro peccatoribus, sivè noxâ lethali coinquinatis, omninò hoc Sacramentum interdictum volunt, & hæc defectu per-

actæ pœnitentiæ, sivè satisfactionis, quæ præcedere debet, ex eorum erronea sententia Sacramentalem Absolutionem. Et sic Sabbatha & Festa transeunt plura, absque ulla alterutrius Sacramenti perceptione, cùm tamen in Ecclesia consuetudo sit perantiqua & laudabilis, ut si quid per reliquos dies peccatum est, recogitemus illud in amaritudine animæ nostræ, cùm Dies Festus advenerit, & idipsum salutari exhomologesi expiemus, atque Divinam Eucharistiam, velut quoddam contra omnia peccata Antidotum, reverenter sumamus. Templorum & Altarium Ornatus, & Imaginum Sacrarum Cultus, qui maximè Dominicis Festisque Diebus à fidelibus impenditur, omninò ab illis improbatur ut Cultus superfluus, & pauperum indigentiæ perniciosus. Imagines Virginis & aliorum Sanctorum more perantiquo Christiano-Catholico adornatas, per contemptum pupputas vocant, Flandricè vulgò *pouppen*. Frequentes Benedictiones & Expositiones Venerabilis oderunt Novatores, illas contemptum parere hujus Amplissimi Sacramenti ubiquè clamant; sed quàm perversè & oppositè fidelium devotioni, aliis judicandum relinquo.

Hoc

Hoc equidem dico, non ideò irradiantem solis splendorem contemni, quia quotidie se facit intueri, & mirùm sanè foret, quod quisquam ideò præ frigore algeret, quia sæpius ad ignem accederet. Processionum devotionem, in Belgio adeò frequentatam, quantum non diminuunt prætensâ suâ Reformatione tollendi abusus. Non sunt abusus, cum Imagine Dei-Paræ aut Sanctorum circumferre Venerabile Sacramentum; sed potiùs abusus est, & quidem gravissimus, usum laudabilissimæ hujus devotionis, quæ viguit in Belgio à tempore immemorabili, velle abrogare, cùm unanimi sapientum judicio, consuetudo tenaciter retenta obtineat vim Legis, & usus communis non debeat, absque evidenti necessitate, immutari. Blasphemo, & Hæretico suo de Confraternitatibus, & Sodalitatibus loquendi modo, mirùm est quomodò avocantur fideles ab inscriptione in Sodalitiis ac Confraternitatibus ad honorem Dei-Paræ & Sanctorum institutis. Rosarii lectionem ut distrahentem spiritum suis prohibent, gestationem Scapularis, aliaque pia Christianæ pietatis exercitia, à Sede Apostolica approbata & communi fidelium applausu frequentata,

tata, variis & contumeliosis nominibus exsibilant, tamquam spiritualia quædam commercia, & Monachorum officinas: lucrandas Indulgentias solùm lucri causâ exponentium. In Peregrinationes ad loca sancta, & Martyrum Sepulchra, velut deambulationes, potationum & commessationum scaturigines invehuntur. Quod si hinc indè aliqui abusus obrepant, non ideò universim condemnanda sunt hæc omnia. *Maneant usus*, inquit Hieronymus ad Vigilantium, *tollantur abusus*, & *paucorum culpa non præjudicat Religioni*. Non illa nova sunt, ut fabulantur Novatores. Qui scripserunt Ecclesiasticam Historiam ante mille trecentos annos ad Martyrum sepulchra, religionis ergò, Peregrinationes ex voto susceptas, memoriæ prodiderunt. Sed unum quæro, si Processiones, Peregrinationes, Sodalitia, Confraternitates &c. abrogandæ sunt quia illis immixtæ sunt abusus, cur non etiam aliæ Ceremoniæ & Ritus Sacri? cur non ipsa Sacramenta abroganda prædicas? His enim non minùs quàm illis se immiscent abusus & quidem gravissimi à vobis ipsis Novatoribus introducti? Omnes illos externos devotionis actus Judaïsmi accusatis

tis, eosque qui hos practicando Dies Festos peragunt, judaïsare dicitis! Hoccine Sabbatha sanctificare est? aut alios ad sanctificandum adhortari? At, inquiunt, veri adoratores sunt, qui adorant in spiritu & veritate. Itanè? Audite Basilium. *Si extra corpus*, inquit, *constituti essemus, necessarium esset ea tantùm curare quæ animæ soli optimè conducerent. Quoniam verò geminus est homo, convenit geminum esse virtutis studium, quod & corporis laboribus, & animæ exercitiis absolvatur.* Fateor quantùm diligimus, tantùm Deum colimus: nam juxta Augustinum: *Pietas Dei cultus est; nec colitur ille, nisi amando.* Verùm, ubi verus est amor? nequaquam sic in ipsa mente reconditus & abstrusus esse potest, ut non per signa quædam & judicia se foras proferat, & ad spectantium oculos traducat. Quapropter etiam ipse Deus Sabbathi religionem commendans; *Videte*, inquit, *ut Sabbathum meum custodiatis, quia signum est inter me & vos*; hoc est publico signo volo, ut ab omnibus Nationibus Religionis meæ Cultores, cæterisque hominibus dissimiles agnoscamini. Hinc Ceremonialia omnia in Ecclesia sunt instituta tamquam externa internæ pietatis


Basilius de vita [..] sol. cap. 5.

Aug. Epist. 120.

Exod. 12.

&

& reverentiæ Symbola & Sacramenta, quæ Dominicis & Festis velut tempore ad hoc, Lege Divinâ & humanâ, determinato, à fidelibus plerumque frequentantur. Ex quibus omnibus illos venire contra Præceptum hoc tertium *de sanctificando Sabbatho* manifestum est, qui vel omnia, vel aliqua prædicta Ceremonialia in contemptum venire satagunt. Et verendum, profectò, nè in ejusmodi quadrent illa irati Numinis Verba, olim per Prophetam Isaïam more tonantis prolata. *Neomeniam & Sabbathum & Festivitates alias non feram. Iniqui sunt cœtus vestri, Calendas vestras, & Solemnitates vestras odivit anima mea. Facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.*



Adversarius Legis & Prophetarum quarto Decalogi Præcepto adversatur.

Honora Patrem & Matrem, &c.

Vidimus Adversarium Legis & Prophetarum omnibus primæ Tabulæ Præceptis adversantem, quoad reliqua secundæ

ſecundæ Tabulæ, ipſum videamus oportet. Poſt Cultum unius & veri Dei, colendos parentes præcipit Dominus primo ſecundæ Tabulæ Præcepto. *Honora Patrem tuum & Matrem tuam &c.* Et benè, inquit S. Ambroſius, *Lex quæ præmiſerat diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum, ſubjecit: honora Patrem tuum & Matrem tuam. Primus enim gradus pietatis eſt, ut quos auctores tibi voluit eſſe Deus, honores obſequiis, abſtineas à contumeliis, quia nè vultu quidem lædenda eſt pietas parentum.* *Amb. lib. 8. in Luc.* Quod adhuc magis explanat Apoſtolus, dum ait: *Filii obedite Parentibus veſtris in Domino, hoc enim eſt juſtum: Honora Patrem tuum & Matrem tuam, quod eſt Mandatum primum in promiſſione.* *Ad Epheſ. 5.* Quo quidem Præcepto non ſolùm Parentes carnales, ſed etiam ſpirituales, debitâ veneratione proſequi jubemur. Cujus venerationis duplex eſt actus, nempè honor externus, quam illis exhibes (ſicut ait Ambroſius) illos *honores obſequiis*, & *abſtineas à contumeliis.* Alter eſt obedientia illis debita, de qua ait Apoſtolus: *Filii obedite Parentibus per omnia, hoc enim placitum eſt in Domino.* *Coll. 3.* Et Patri & Matri ſuæ neque

hono-

honorem, neque obedientiam deferunt ullam Novatores, quemadmodùm prosequendo dicemus. Patris nomine, non carnalis venit & particularis, sed Pater Cælestis & universalis, de quo ipsa Veritas: *Pater noster qui es in Cælis.* Cujus disciplinam ut audiamus præcipit Spiritus Sanctus, dum ait: *Audi Fili mi disciplinam Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ.* Nomine Matris intelligo Ecclesiam, communem Christianorum Parentem. Quis dixerit illos honorare Patrem, qui illius honorem non solùm non augent, sed diminuunt, & alios ab illo honorando avocant. Honor etenim est testificatio externa alicujus excellentiæ verbis, vel aliis signis exhibita. Hinc Deum honorare dicimus, cùm illum titulis & nominibus honorificis appellamus, cùm nos illi per capitum inclinationes & genuum inflectiones submittimus, cæterisque Ceremoniis eum colimus & adoramus. Sed Novatores nostri externa illa omnia quasi Judaïsmum subolentia fastidiunt. Omnia in spiritu peragi volunt. Multiplicitatem Religiosorum diu noctuque in Divinis Laudibus incumbentium, exaggerant. Frequentiam Ecclesiarum, in quibus

Proverb.

quibus Dei honor præcipuè impenditur conquæruntur; copiam sermonum & concionum, Divina Attributa & Excellentias extollentium nimis magnam esse clamant, ipsum Missæ Sacrificium, quod ad illius excellentiæ & nostræ submissionis testificationem institutum est, nimis vulgare aiunt, & propter frequentiam in despectum & contemptum venire dicunt. Pro frequenti Communione & Confessione abolenda, quid non agunt, Processiones, Confraternitates, Sodalitia, & cætera ejusmodi ad gloriam Dei omnipotentis & totius Curiæ Cælestis instituta abrogare vellent, si possent, in Ecclesia Dei. Adeò ut ab illis non minùs ac olim à Filiis Israël Deus petere posset: *Si Pater ego sum, ubi est honor meus? despicitis Nomen meum & dixistis in quo despeximus Nomen tuum?* *Malach. 1.* Despiciunt Nomen Dei, cùm illud invident ab omnibus prædicari. Undè super illud num. 12. *Quid æmularis pro me*, dicit Glossa Greg. *pia mens Pastoris, quia non propriam gloriam, sed authoris quærit: ab omnibus vult juvari in eo quod facit; fidelis enim prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonant.* Dicunt au-

tem : *In quo despeximus Nomen tuum?* *cùm pietatem & charitatem se profiteri simulant ; sed superfluè conantur sibi & caeteris caliginem inducere , ut quod utiliter charitas monet , non solùm facere nolint , sed nec intelligere.* Monet charitas Deum honorandum esse honore externo & visibili. *Nam sic* , inquit Salvator , *luceat lux vestra* , id est pietas vestra , religio vestra , *coram hominibus* , *ut videant opera vestra bona* , *& glorificent Patrem vestrum qui in Caelis est. Cùm accendunt lucernam non ponunt eam sub modio* , *sed super candelabrum* , *ut luceat omnibus qui in domo sunt.* Lucernam accendis quoties aliquod pietatis opus exerces , sed noli illud ponere sub modio, noli aliis persuadere pietatem veram solo spiritu peragi , pone idipsum super candelabrum , id est, utere Ceremoniis & aliis publicis & externis Christianae Religionis Symbolis , ab omnibus fidelibus maximo semper in honore habitis , ut professio fidei tuae externa , alios provocet ad confitendum Nomini Sancto ejus. Pergit onus verbi Domini ad Israël ; & Novatores nostros per os Malachiae Prophetae. *Offertis* , inquit , *super Altare meum panem pollutum* ,

Glossa in 2.Thess.3.

Malach. 1.

lutum, & dicitis in quo polluimus te? in eo quod dicitis mensa Domini despecta est. Quis sit ille panis pollutus ostendit cùm subdit. *Offertis cæcum claudum & infirmum.* Sed numquid benè hunc panem pollutum dixerim Verbum Dei, cùm ait ipsa Veritas: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Illud Verbum Dei panis pollutus est, dum proponitur non secundùm sanam doctrinam, *quæ est secundùm Evangelium gloriæ beati Dei.* 1. Tim. 1. Offertis cæcum claudum & infirmum, cùm Evangelium Christi, nescio quibus falsis & perversis Doctrinis claudicat, & prætersâ Reformatione infirmatur. *Mensa Domini despecta est.* Id est, inquit Isidorus clariùs in suis scholiis ad illa verba, *tamquam dicat, adeò panis fit pollutus, quia vos judicatis mensam Domini perridiculam & contemnitis eam.* Panis Verbi Dei à Novatoribus fit panis pollutus, cùm Mensam Domini Eucharisticam contemnunt, & frequentem ad illam accessum fidelibus interdicunt directò opposité Divino Eloquio: *Venite & comedite Panem meum.* Manifesta fraus & perniciosa fallacia illorum est, qui dicunt nimiam Sacro-Sancti Sacramenti Altaris as-

 siduitatem

fiduitatem contemptum parere. Apud homines verum esse fateor, nimiam consuetudinem contemptum gignere, quia propter nimiam consuetudinem, & rerum ad invicem cognitionem, miserias ac defectus alterius tandem intelligunt, undè contemptus ipse oritur. Secùs est in Dei conversatione; nam quò magis eum quisque pertractat, & cum ipso conversatur, tantò magis de ejus bonitate ac magnitudine cognoscit, & cognoscendo laudat; sed quæ laus major aut quis honor magis excellens à creatura Creatori omnium deferri potest quàm in Eucharistia, sivè tamquam Sacramentum, sivè tamquam Sacrificium consideres? Quid magis honorificum Patri misericordiarum & Deo totius consolationis, quàm filios suos, qui sicut novellæ olivarum stant in circuitu mensæ suæ, pascere propriâ Carne & Sanguine? Videat ille quisquis est, an non sibi magis quàm Deo, hujus Præcepti prævaricatio damnum inferat: nam,
Eccl. 3. ut ait Ecclesiasticus, *Filii dedecus est Pater sine honore.*

Matrem non secùs ac Patrem honorandam præcipit Decalogus: *Honora Patrem tuum & Matrem tuam.* Mater nostra Eccle-

sia

sia est : non enim habebit Deum Patrem qui noluerit Ecclesiam habere Matrem : *Ecclesia*, inquit Cyprianus, *est quæ nos Deo servat, quæ filios regno, quos generavit assignat : Ecclesia Mater est, quæ nos de Christo concepit, fidei lacte nutrivit & nutrit.* Sic igitur Patrem nostrum Deum honoremus, ut suo Matrem Ecclesiam honore non fraudemus. Id enim facimus, ut ait Ambrosius, si illam honoremus obsequiis, & abstineamus à contumeliis. Sed an hoc faciunt Novatores ? Quis credat ! *Ecclesiam bicipitem* (res vulgò decantata est) comminisci non verentur, quale monstrum vulgares Episcopos Controversiarum Fidei Judices faciunt Romano Pontifici pares ; quippè qui docent non officere Pontificiæ Potestatis magnitudini, quod Episcopi causarum Fidei sint Judices, non magis quàm Regiæ Majestati obsit esse in eorum Imperiis Judices, qui de causis omnibus summâ etiam potestate decernant, qui & docent *Deum instituisse Episcopatum, ut summam & plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis in suo quemque tractu, quam Episcopus in ministros pro Ecclesiæ commodo diffunderet. Qui docent Ecclesiæ universalis regimen à Presby-*

Cyp. de simplic. Prælat.

Aug. Epist. 38. ad Letum

Sancyrranus lib. de freq. Com. in Præfa. lib. Aurel. In octo causis spongia pag. 199.

Vindic. pag. 481.

Vindic. pag. 214.

Presbyteris suppleri posse quid quod cavillationem esse contendant, sic distinguentium inter generales, & particulares Synodos, ut hæc sint errori obnoxiæ, illæ verò certæ veritatis &c. Ipsum Pontificem fallibilem prædicant in quæstionibus juris, & facti absque Concilio. Sedis Apostolicæ Decreta tamquam falsa, tamquam somnia abolenda & conculcanda esse jam pridem asseruit quidam Encomiastes funebris. Numquid horrendum? Numquid illa atque hoc genus damnata Dogmata contumeliæ in piam Matrem Ecclesiam? Hoccinè Matrem honorare est? *Sanctam Ecclesiam Matrem nostram,* inquit Augustinus, *tamquam supremam Hierusalem Sanctam Civitatem Dei honorate, diligite, prædicate.* Sed modo satis est de honore Patri & Matri ab Adversariis præstito. Quid sit de eorum obedientia, videamus.

Lib. Aurel. in octo causas spongiæ præambulas pag. 199.

Pag. 26. 27.

August. super Can. Joan. Hom. 3.

Obediens Patri & Matri ille dicitur, qui utriusque mandatis & dictis obtemperat. *Audi fili mi*, dicit Spiritus Dei, *disciplinam Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ.* Pater noster Deus est hujus disciplinam ut audiamus præcipit. Sed quid

Prov. 1.

quid inquit Deus? Jubet nos audire Ecclesiam, eique tanquam Matri nostræ in omnibus obedire. Hanc qui non audit, eum Deus haberi vult tamquam Ethnicum & Publicanum. Hujus Leges si dimiserimus, si morem illis non gesserimus, si nos ab illius unitate segregaverimus, frustrà nos audivisse Patris disciplinam gloriabimur. Erimus enim illi quos vocat Propheta, *filios desertores*, de quibus alio loco scriptum est. *Filii alieni mentiti sunt mihi*. Non agnoscit eum pro filio, qui quam sibi Sanguine suo mundatam copulavit, Sponsæ suæ Ecclesiæ non obtemperat, cujus contemptus ad Patris contemptum redundat. Sic enim loquitur Deus: *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit*. Numquam à disciplina Patris lex Matris, numquam à lege Matris disciplina Patris dissidet. Disciplina Dei Patris & Matris Ecclesiæ, est quidquid ejusdem Ecclesiæ caput visibile in terris, nobis sivè prohibendo, sivè mandando præcipit. Præcepit nuper Sanctissimus in virtute S. Obedientiæ: *Ut tàm in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus ac Prædicationibus*

Matth. 18.

Isaie 30.

Psalm. 17.

Luc. 10.

tionibus, notate verba, *caveant ab omni censura & nota, necnon à quibuscumque convitiis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos, hinc indè controvertuntur donec à Sancta Sede recognita, super iisdem Propositionibus judicium proferatur.* Sed ubinam obedientia vestra? Numquid Macarius sub nomine Campiani Flori tamquam verus impostor, inobediens Ecclesiæ filius, Religiosos Belgicos falsò censuravit? Imò ex nunc ex proprio cerebro & genio illas omnes damnatis, cùm prævenitis judicium, ubi nondum est judicatum, Litteras Provinciales Montaltii ne quis legeret aut retineret prohibuit Alexander septimus feriâ 5. die 6. Septembris 1657. Sed quis vobis magis familiaris quàm Vendrochius, Rituale Aletense, & librum quemdam Versionis Gallicæ Novi Testamenti Montibus Hanoniæ, vel potiùs Bruxellis impressum, à Clemente nono die 19. & 20. Aprilis Anni 1668. sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ ipso facto incurrendæ damnatum qui legunt, & aliis legendum proponunt, quomodò obediunt Matri Ecclesiæ? Constitutionem Pii V. adversus errores

rores Michaëlis Bay, & ejusdem Constitutionis Confirmationem à Gregorio 13. & Urbano 8. factam ad antiquam revocant cavillationem prætextu alicujus commatis seu virgulæ disjunctivæ momenti summi è contextu Pontificiæ Constitutionis sublatæ; & hos Ecclesiæ obedientes dixeris? Ejusdem Urbani Decretum quo prohibet Augustinum Cornelii Jansenii datum Romæ pridiè nonas Martii Anno 1641. & Innocentii X. datum pridiè Calendas Junii 1653. & 23. Aprilis 1654. & reliqua ejusmodi in hac materia Pontificum Decreta flocci pendent, & sub pallio Doctrinæ de Quæstionibus facti irritare conantur. Hoccinè obedire est Ecclesiæ? Si hæc sit obedientia, nescio quid sit inobedientia & contumacia. Mandavit nuper Alexander septimus, nè quis censuraret Sententiam *de sufficientia Attritionis ex metu Gehennæ*; quin imò opinionem illam communem vocat in scholis: Novatores è contra illam ut Hæreticam & Blasphemam proclamant ubique. Vides quomodò obediant illi? parùm memores dicti Apostolici: *Filii obedite parentibus vestris in Domino*, Acriter illos reprehendit Magnus Gregorius: sunt *homines*, inquit, Ephe. 6.

qui

qui . . . subesse Sedis Apostolicæ Præceptis nolunt , & nos quasi de Fide reprehendunt , quam ipsi nesciunt , & dum neque in fide recti sunt . . . . . student ut certare pro Fide videantur , sicque fit , ut quotidie deteriores fiant , dum in eis culpa grassescit , quæ quasi de zelo ferroris videri etiam laudabilis appetit. Gemitus Matris tuæ, inquit Sapiens , *nè obliviscaris.* O quam non ingemiscit , & ex profundo præcordiorum suspirat Mater Ecclesia , dum videt se tanta ex Jansenismo ubiquè jactari & concuti procella , dum videt tot filios suos sibi *inobedientes*, *vaniloquos* , *seductores*, *qui universas domos subvertunt* , ut ait Apostolus , *docentes quæ non oportet*. Hos gemitus parùm curant Novatores , multùm abest , ut tollant illos & diminuant , sed potiùs illos multiplicent & augent augendo materiam gemituum & dolorum ejus. Gravibus peccatoribus annumerat tales Apostolus , dicens : *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa , & erunt homines seipsos amantes , cupidi , elati , superbi , blasphemi , parentibus non obedientes. Qui percusserit Patrem suum aut Matrem morte moriatur* , dixit Deus. O quoties Adversarii percutiunt Matrem Ecclesiam

Lib. 7. Regist. Epist. 13.

Ad Titum 1.

2. Tim. 3.

Exod. 21.

clesiam gladio oris sui ! Quoties non impetunt convitiis & scommatibus nobilissima ejus Membra ! Verendum profectò nè moriantur : sed non morte justorum. Matris nomine, si hic Dei-Param appellem, quis mihi succenseat. Illam quippè Joanni, & in Joanne nobis omnibus Matrem dedit in Cruce moriens Christus. Hanc Matrem non honorant Novatores veri Anti-Mariani ; sed ubicumque possunt illam non ut Matrem, sed ut fœminam similem cæteris tractant, & ut vile mancipium vilipendunt. Ejus Statuas, ut ante dictum est, *puerorum esse pupulas* vulgò *kinder-poppen* passim ex Cathedris & pulpitis effutiunt : omnem illius Cultum, & honorem ex hominum animis delere cupiunt, ad hoc viderunt olim Monita ad Cultores Beatæ Virginis, quæ Diabolus cõflavit potiùs, quàm homo quidam Christiano Catholicus excogitavit : hic est honor quem huic Matri suæ Cæli terræq; Reginæ præbent. Hoc Præcepto etiam mandat Deus honorare Patres sivè Seniores & Majores nostros. Quod si etenim quidquã exquiras de semitis antiquis quæ sit via bona ut ambules in ea & invenias requiem animæ tuæ. *Interroga*, inquit Scriptura,

Patrem

Patrem tuum, & annuntiabit tibi majores tuos, & dicent tibi. Hinc Moyses Mandatum accepit, ut acciperet septuaginta viros de senibus Israël, qui lites & controversias dirimerent. *Congrega mihi*, inquit, *septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quod senes populi sint ac Magistri.* Jeremias quoque inter alia Threnerum deplorat Senes sublatos: *Senes*, inquit, *defecerunt de portis*; quasi verò Seniorum & Majorum assistentia populo foret omninò necessaria. Sed quantum ab hoc distant Novatores! non Sanctos Patres consulunt, penes quos tamen est depositum veritatis, sed Dogmatistas quosdam, quorum professio fallacia est, dum in materia Fidei vel morum aliquod dubium occurrit. Antiquitatem quidem inclamant, sed nihil illis rariùs & odiosum magis illâ. Ipsi sibi Seniores & Magistri sunt, nec alios quærunt, nisi sibi prurientes auribus. A veritate auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur. Ipsi sibi sunt via, veritas & vita; ipsi sibi more aliorum hæreticorum statuunt quæ sit via bona in qua ambulent; sed cujus novissima, ni fallor, ducunt ad interitum: ipsi sibi sunt Lex & Prophetæ, hinc

Num. 11. *Ierem. cap.* 5.

omnia

omnia etiam Sanctis. Virorum Oracula tamquam falsa, tamquam somnia, exsibilant, derident, explodunt. Hæc omnia patent in speciminibus Ægidii, ex cujus spiritu & ore tot Bruxellæ turbationes, ut meliùs Patris officio: id est curâ porcorum, quàm Christianorum fungeretur; sed Roma nuper ipsius scripta prohibuit, &, ut spero, condemnabit. Vides itaquè Adversarium nostrum Legis & Prophetarum non in uno solùm, quamvis & qui in uno peccat, sit omnium reus; sed in omnibus, quæ hoc Præcepto continentur, tàm negativè quàm positivè peccare, quemadmodùm & in cæteris Decalogi Præceptis ostendemus.

Adversarius Legis & Prophetarum quinto Decalogi Præcepto adversatur.

Non Occides.

NIhil est magis secundùm naturam quàm ut homo homini quicumque sit, eò quòd homo sit, consultum velit. E contrariò nihil est magis contra naturam quàm

quàm hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, aut detrahendo aliquid alteri,aut violando alterum. Inter omnia autem incommoda, quæ ab homine homini inferri poſſunt, multò graviſſimum habetur & longè facinus atrociſſimum exiſtimatur, ſi quis alicui mortem inferat. Quamobrem rectè primo loco Deus prohibet, *Non occides.* Quod non ſolùm de corporali morte, ſed etiam de ſpirituali rectè intellexeris. Peccant quidem graviter contra hoc Præceptum, qui corpus hominis occidunt, ſed gravius etiam illi qui animas in Gehennam mittunt. Neque hìc ſolùm Mandatum hoc violaſſe exiſtimandus eſt, qui manu occidit, verùm etiam ſi ſit ex eorum numero,
Pſalm. 56. de quibus ait Pſalmiſta: *Filii hominum dentes eorum arma & ſagittæ & lingua eorum gladius acutus.* Hinc de Diabolo di-
Ioan. 8. cit Chriſtus quod homicida erat ab initio, atqui ille non gladio armatus non ferro ac-
Auguſt. tract. 42. in Ioan. cinctus ad hominem venit. *Verbum malum ſeminavit,* inquit Aug. *& occidit.* Non ideò homicidas eſſe definitis Novatores, quia ſanguinem non effunditis, ſi tamen non effunditis cùm nuper virum Bruxellenſem in majoratu Buſcoducenſi, proch ſcelus! propter erectam in Eccleſia Deiparæ Ima-

ginem unus ex veſtris, hominem innocentem, velut alterum Joannem inter epulas & convivia (quod etiam omnes barbari horrere conſueverunt) per nepotem ſuum occidi cultro juſſit; quoad corpus, & negando Sacramenta occidi illum fecit quantum potuit quoad animam. Hoc nempè crudelitati ferculum debebatur quo inſatiata epulis feritas Novatorum veſceretur. Nolite putare vos non eſſe homicidas, quandò fratribus malè perſuadetis, calumnias in Pontificem, ſcommata & convitia in Religioſos, blaſphemias in Deiparam & Sanctos, dum ſacrarum Imaginum & Reliquiarum apparatus ut officinas Monachorum depredicatis, queſtus causâ erectas, dum veſtris colloquiis & concionibus profanas *Vocum Novitates* ut ait Paulus *Tim. 6.* immiſcetis ad capiendas animas, & illaqueandos innocentes, grave genus id eſt homicidii ſi quis fidelibus aditum ad Sacramenta intercludit atque ita Gehennæ reos eſſe ſinit cùm illos de filiis Gehennæ, in filios adoptionis, & æternæ gloriæ cohæredes transferre poſſit, ſi doctrinis variis & peregrinis mentem alicujus abducere, & in aliud Evangelium transferre conatur ab eo qui vocavit nos in gratiam Chriſti, qui

qui videt fame morientem neque pascit, ipse occidisse judicatur. *Pasce fame morientem*, inquit Ambrosius, *si non paveris occidisti.* tot famelicos, & præ fame penè morientes habes quot pedibus vestris advoluti petunt absolvi à peccatis, & Carne Dominicâ satiari. Vides hos ? sed cur non pascis famelicos: at inquies *ipsius Christi lege cautum est nè absolutionem impertiat Sacerdos, nisi expletâ satisfactione. Differenda est absolutio peccatori latalis culpa reo donec vitam notabili tempore emendaverit.* Improbanda est frequens Absolutio à venialibus. Itanè futili hâc, & inani ratione, vel si mavis, hæretico hoc argumentandi modo pœnitentes ab hoc Sacro Tribunali repellis tanto cum animarum periculo ? Ad Sacram Sinaxim, inquies, non licet accedere Conjugatis, nisi priùs per octiduum se ab opere conjugii absentaverint. Ubi, quæso, Lex illa ? Ubi Canones qui hoc præcipiunt ? si qui Doctores hoc dicunt, non præcipiunt, sed consulunt pro reverentia tanti Sacramenti, & tu consilium in præceptum tàm imprudenter si non impudenter commutas ?. Vides fame morientes & non pascis. Sed
Ham. 70 scito, *Frater, si non paveris occidisti. Quid nobis*

nobis prodest si occiderimus Fratrem nostrum & celaverimus sanguinem ipsius? manus nostræ non polluantur; frater enim & caro nostra est. Fraternâ lenitate illum amplectemur, non tyrannicâ severitate propellamus. *Adsit,* inquit Augustinus, *Confessarius benevolus, paratus erigere, & secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in varietate, adjuvet confitentem orando, & semper eum juvet lemendo.* Habent illud dictum summi Sacerdotis Caïphæ passim in ore Novatores, *expedit ut unus moriatur pro populo*, expedit ut unus aliquis ad exemplum aliorum sine absolutione dimittatur; præstat ut unus per totum ante meridianum tempus solum audiatur, ut debitè hoc fiat, cæteri dimittantur. Pereat hic vel ille modò, in uno debitè & perfectè Confessarius suo munere fungatur. O ineffrenata crudelitas! quasi verò non omnes animæ equè caro constitissent Creatori & Redemptori Deo! O quam satius gentiles nautas Jonæ primò imitarentur, & de singulis animabus dicerent quod dixere illi priusquam Jonam in mare dejicerent. *Quæsumus Domine nè pereamus in anima istius viri, & nè des super nos sanguinem innocentem.* Grave est illud

Gen. 37.
Aug. de vera & falsa pen.
Jon. 1.

illud homicidii genus si quis doctrinâ suâ contaminatâ corrumpit alios, dum sua in eos dogmata infundit, ac plus etiam exemplo quàm peccato nocet. Si præsertim sit
Matth. 5 ex numero eorum quibus dictum est, *vos estis sal terræ, quod si sal evanuerit in quo salietur? Vos est lux mundi. Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in Cælis est.*
Greg. Past. par. 3. Admon. 5. Qui si præierint malè & perversè docendo, tot eos mortibus dignos esse scribit Gregorius quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Peccant namque in hoc non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: Consentire autem videtur, & is qui non
Rom. 1. obsistit si potest. Cùm scriptum sit: *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur*
Prov. 24. *ad interitum liberare nè cesses.* Et D. Ambrosius: *in officiis*, inquit, *qui non repellit à socio suo injuriam tàm est in vitio quàm ille qui facit.* Sed quæ major injuria esse potest quàm depravatio Religionis, hanc non tollunt Novatores, sed fovent. Cum discolis, authoritate pollentes, venenata ex cathedris & pulpitis effutientibus nimium dissimulant, & similes non minùs homicidæ sunt, quàm fuit Pilatus qui Christum

ſtum à morte non liberavit cùm id facere potuit. Et tantò pluribus æternæ mortis *Joan. 19.* authores fiunt, quantò illos impoſtores & dogmatiſtas, in plures ſua Dogmata infundere impunè patiuntur, pro verbo Dei ſano parvulis obtrudunt Doctrinam Janſenii Sancyrani, Wendrochii & aliorum ejuſmodi dogmatiſtarum, uti nuper oſtenſum fuit in mea unitate dogmatica politica.

Ad hoc quintum Decalogi Præceptum revocant paſſim Theologi invidiam, iram & odium. Hæc in Novatoribus vulgus animadvertit quotidiè : hæc admittere debes, quiſquis Novator re & non nomine eſſe vis.

At dices te neminem interficere ? Verùm-enim-verò multò graviora facere probaberis, cùm Fratris ignominiam concupiſcis, cùm undiquè laqueos tendis, cùm perſequeris nè virtutibus invigilet, cùm egrè fers orbem terrarum debitum Deo exhibere ſervitium : non igitur per illum cum Deo bellum geris ? Viden quo pergat invidia ; at, inquies, non quod Deus, ſed quod Frater clarificatur malè me habet. Huic reſpondet Chryſoſtomus dicens hanc gloriam in Deum redundare,

& à consequenti ejus impugnationem nec tergiversari vales quasi optes Deum per te glorificari, quia si gaudeas te gloriosum exhibente fratre, & per te Deus glorificabitur, omnesque dicent benedictus Deus, qui tales habet servos ab omni livore liberos mutuis gaudentes bonis, & quid dico fratrem? nam licèt hostis esset & inimicus, si tamen Deus per hunc glorificatur, amicum fieri propter hoc oporteret. Si enim quis corpus tuum adversâ laborans valetudine, licèt sit inimicus curaverit, ipsum jam primum amicorum censendum esse judicabis: Christi Corpus, hoc est Ecclesiam ornantes vides, & amicum ducis inimicum? Non reminisceris quod Dominus quidem tuam quæsivit gloriam, non suam? Tu verò non Dominicam sed tuam exquiris. Alioquin autem tunc & tuam assecutus fuisses, nunc autem tuam ante Domini gloriam quærens, nec hâc unquam potieris, etiamsi signorum claritate coruscaveris, sivè virginitatem, sivè jejunium, sivè humi stratum excolueris, sivè ipsos spiritus Angelicos virtute antecelluerìs, omnium eris, hunc habens defectum, scelestissimus, & adultero, latrone ac fure iniquior. Quid iniquius invidiâ? Vel adeò

Matthias Felucius in Decal. fol. 420.

adeò enim corruptus est invidus ut ei redolentia feteant, & è converso amara sint ei dulcia, & dulcia amara. Undè ad invidos, pertinere videtur illa maledictio Prophetæ. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum.* Novatores dicunt bonum malum dum Cultum Virginis & Sanctorum abolere nituntur, ponunt tenebras in lucem, cùm aliquorum Dogmatistarum commenta pro antiqua primitivæ Ecclesiæ praxi divulgant, ponunt deniquè amarum in dulce, & dulce in amarum, cùm Legem Domini, cujus jugum suave est, & onus leve, nescio quibus maximis & doctrinis aggravant, & hominum humeris onera imponunt, quæ ipsi nequidem digito attingere volunt. Invidus moritur de bono odore de quo alii vivunt: invidus profectum aliorum reputat suum defectum. Cur quæso in Religiosos ita debachantur Novatores? nisi quod eorum bonum virtutum odorem ferre non possint. Undè similes Judæ murmurant de effusione Unguenti. Quid est quod eorum doctrinam vel adeò insectantur, quid quæso illos tangit aut angit? Nihil me herculè nisi quod Judæos

Isaïas 5.

 olim

olim pupugit & exstimulavit, ut Christum de mundo tollerent. *Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit.* Hæc de invidia Novatorum non invidè dicta sint. De ira quid dicam? *Fuimus aliquando illis*, & sumus adhuc *Filii Iræ sicut & cæteri* qui veritatem docent, quotidianæ contumeliæ, & invectivæ in laxitatum Patronos, sic enim per contemptum nos vocant, quas plenis buccis in curribus & navibus effutiunt, testimonium perhibent de his, & scimus quia verum est testimonium, nam se nobis irasci non in occulto, sed manifestè propalant omnibus, ut appareant hominibus zelotes puri & sinceri Cultus divini, adimplentes illud Davidicum *Irascimini & nolite peccare.* Quo super illis respondeo Augustini verbis, *Volo vos irasci, sed ut non peccetis, ut autem non peccetis, quibus habetis irasci nisi vobis*, qui tot in Ecclesia Dei turbas excitastis. Assiduitate irascendi fel crescere docent medici. Hinc odium nihil aliud est, juxtà Augustinum, quàm ira inveterata, sivè odium est dispositivè procedens ex ira, nascens formaliter ex invidia, quemadmodum perpulchrè demonstrat Augustinus. *Ira, inquit, est festuca in oculo,*

Ioan. 12. *Ephe. 11.* *Aug. lib. de Verb. Dom. serm. 12.*

lo, trabs in oculo, odium est. Festuca initium trabis est, nam trabs quando nascitur, prius festuca est, rigando festucam, pervenit ad trabem. Contigit idipsum cum Novatoribus: primò ira fuit & quidem juxta illos justissima, utpotè pro honore Dei, sed brevi illa in odium exarsit in tantum, ut cum Davide dicere queant eorum singuli *Perfecto odio oderam illos & inimici facti sunt mihi.* Undè Novatores solent diebus Religiosorum Festivis, puta Festo Portiunculæ, Scapularis &c. Suis Pœnitentibus communionem interdicere, & in alium diem differre, nec ob aliam causam, nisi ut sic, quantum possunt, istis festivitatibus derogarent, nec satis hoc non solùm personas doctrinæ suæ adversantes odio prosequuntur, neque solùm eorum festivitates abominantur, sed earum res omnes familiares, ut ædificia & templa odio habent. Contigit non ita pridem quod unus Novatorum qui hoc ante nomine Encomiastis venit, quod hic inquam Mechliniæ cum aliquibus exteris sui instituti confratribus obambularet, qui exteri cupidi videre novam Basilicam Societatis, petierunt ingredi vellet? ipse autem negavit, dixitque illos ingredi posse si vellent, se

Aug. Epist. 14. ad profuturum Episcopum.

Psalm. 138.

illos ante valvas expectaturum. Ex hoc ideò solùm quia Basilica erat Societatis. Quid videtur numquid hoc odium est? Sed an nescis Novator quod *omnis qui odit*
1. Joan. 3. *fratrem suum homicida est*. Quid ergò oderis fratres eodem tecum etiam Sacerdotali Charactere insignitos? Odi quantum Jubet facientes prævaricationes, non illos qui veraces sunt & viam mandatorum Dei, in veritate docent. Scis quid sit? Nimium
Aug. Tract. 31. super Joann. & Epist. 38 ad fatum. teipsum amas, ideò odisti alios. Nam ut ait Augustinus, *si malè amaveris tunc odisti, si bene oderis tunc amasti*. Odium itaquè velut venenum mortiferum de tuo corde repelle. Nemo de virginitate præsumat, nemo de eleëmosinis, nemo de jejuniis, nemo de orationibus confidat, quia quamdiu odium in corde tenuerit, neque in istis, neque in aliis quibuslibet bonis operibus placere Deo poterit. Sed satis est de Præcepto *Non occides*, ad aliud *non mœchaberis*, properet noster Adversarius Legis & Prophetarum.



Adverſarius Legis & Prophetarum ſexto Decalogi Præcepto adverſatur.

Non Mœchaberis.

GRave crimen eſt Homicidium, ſed non minùs grave quod ſexto loco prohibet Deus: *Non mœchaberis*: quod bifariè uſurpari conſuevit, teſte Auguſtino, ſpiritualiter & corporaliter. A corporali exordiamur. Mœchiæ nomine, non ſolùm Adulterium vel Fornicatio, ſed omnis rei veneteæ uſus illicitus prohibetur, quemadmodùm furti nomine benè intelligitur omnis illicita rei alienæ uſurpatio. Sed nùm mœchia nominatur & reperitur inter Novatores? Mœchantur non ſolùm qui perpetrant Mœchiam, ſed qui aliquo modo conſentiunt facientibus. Illi ut exoticam opinionem ſuam, de ignorantia invincibili juris naturæ ſtabiliant, puſillis quibuſque, puellis æquè ac adoleſcentibus ea docent quæ in juvenili pectore adhuc indormientem concupiſcentiam excitant, in diluculo pubeſcentis rationis, & gaudent in hoc prævenire perverſam & corruptam

ruptam peccato naturam noſtram, quaſi verò illa nimis ſerò ſuas corruptiones & fæces filiis Adam palàm faceret. Undè tot mœretricia, ſcorta, ſtupra, & plura id genus alia corruptæ carnis proſtibula, quæ honeſtè nominari non poſſunt inhoneſtiſſima in republica initium habent, & jam ante maturam ætatem. Ut victricis gratiæ victoriam exaltent, etiam veneris ſeu carnis adminiculo uſi ſunt Novatorum aliqui. Contigit etenim non ita pridem, quod unus aliquis ex eorum ſenioribus & legiſperitis cum matrona quadam honeſtiſſima de gratia Dei verba haberet, qui inter ſermonem illum, qui ſolet illis eſſe gratiſſimus, adeò huic fœminæ appropinquaret, ut facies faciem attingeret, manumque ad illicita extenderet, quo obſtupefacta mulier, ut erat honeſtiſſima, extimuit, imò ſervum vel ancillam inclamavit, ſciebat quippè, *quod caro*
Iob. 6. *non eſt ænea*, ut inquit Job, *nec fortitudo ejus fortitudo lapidum*. Hoc clamore hujus Dominæ ab incepto & intento diſtractus Novator ille, benè eſt, inquit, ô Domina, habes intentum, video hic victricis gratiæ in te experimentum, victricem gratiã procul dubio hic poſſediſti, quâ carebam ego. Itanè hâc larvâ victricis gratiæ impudicum animum velare

lare contendebas? *O plene omni dolo, & omni fallacia fili Diaboli inimice omnis justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas!* Act. 13. Choreas ducere species quædam lasciviæ est, undè dicit Augustinus: *Omnis motus petulantiæ saltus est in profundum Cloacæ.* Et hinc fit, ut temporibus illis, quibus deberent homines audire Cantus Ecclesiæ, audiant cantus lasciviæ. Novatores nostri conventicula celebrant, in quibus nihil adeò cordi habent, quàm choreas ducere, & cum suis Apostolicis vulgò *Apostolines* saltitare ad sonum aliquorum Cymbalorum capiti equino affixorum, *sic instrumentum vocant, een afgesoden peerdts Hooft* & carmen diffamatorium Religiosorum resonantium. Res vulgò Bruxellis in Parochia S. Catharinæ nota est. Hæc vox lætitiæ & exultationis eorum est quo quis magis scurrilè scomma adversus Monachos in medium proferat, eò gratior illis & ingeniosior reputatur: huic applaudunt omnes clamore valido, & de tàm ingenioso sui ingenii fœtu congratulantur. Sed numquid hæc sub mœchiæ nomine recenseri possunt? Quis dubitat, illecebræ saltem sunt ad Mœchiam. Verùm alia est Mœchia spiritualis quæ multò gravior est quàm illa corpo-

corporalis. De hoc genere Mœchiæ ſcribit Clemens Alexandrinus. *Eſt autem Adulterium, ſi quis relictâ Eccleſiaſticâ, & verâ cognitione, & de Deo perſuaſione, accedat ad falſam, quæ non convenit opinionem.* Cui ſubſcribit Hieronymus in Ezechielem; *Eſt & alia*, inquit, *fornicatio ſpiritualis, quandò deſerentes Eccleſiam, Hæreticis jungimur: Ædificamus Lupanar noſtrum in capite omnis viæ quibus præcipit ſermo divinus, ſtate in viis & quærite vias Domini ſempiternas, & videte quæ ſit via bona, & ambulate in ea.* In omnibus viarum principiis fabricant Novatores Lupanar ſuum, qui ad perverſitatem Doctrinæ ſuæ teſtimoniis malè abutuntur Sanctorum Patrum, & dicunt: hæc ait Auguſtinus, hæc dicit Bernardus, hoc loquitur Carolus Borromæus, Franciſcus Xaverius, Franciſcus Saleſius, &c. & pulchrè non in mediis viis, nec in viarum terminis ponunt Lupanar ſuum, ſed in principio: nam ſi Patres illos, & primitivæ Eccleſiæ Canones candidè & ſincerè pervolverent, non tàm turpiter errarent, & à via regia paſſim ab omnibus ſanæ fidei cultoribus trita deviarent. Deſerunt Eccleſiam quandò contra ejus prohibitiones & condemnationes abeunt poſt veſtigia

Clemens lib. 6. Stromat.

Hier. lib. 5. in Ezech. Cap. 16.

veſtigia Dogmatiſtarum & Hæreticorum, &malunt adhærere alicui meretriciæ quàm veræ & ſanæ doctrinæ Vocant ejuſmodi Prophetæ mulieres adulteras, vocant & meretrices: ſic apud Hieremiam legimus. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris Meretrix.* Hoc enim ingenio ſunt qui doctrinam Eccleſiæ deſerunt, & ſimul ac viderint collem aliquem ſublimem aut lignum frondoſum, hoc eſt qui ſcientìæ habet opinionem, quæ inflat, quique verbis ornatis & amplis ea quæ prava ſunt ediſcere queat, ſtatim illi adhærent, ut faciunt Novatores. Eccleſiam vocat Paulus ad Corynthios *Virginem caſtam,* & apud Epheſios *non habentem maculam aut rugam,* hanc Virginem caſtam polluunt Novatores ſuis adulterinis doctrinis, hinc Eccleſiæ maculam & rugam affingunt, vel potiùs ipſi ſunt illius rugæ duplicitate & vafritiâ doctirinæ ſuæ, nam *quid per rugas,* inquit Gregorius, *niſi duplicitas deſignatur? Rugæ itaquè ſunt Sanctæ Eccleſiæ omnes qui in ea dupliciter vivunt.* dupliciter ſanè vivunt in Eccleſia moderni Novatores, videntur enim veræ fidei Cultores, ſunt autem hæreſum amatores, ſimiles meretricibus, qui virum ſuum ſe fingunt amare, verè autem

Hier. 2.

1. Cor. 11.

Eph. 5.

autem amant adulterum & in facie quidem istius sunt, in corde autem alterius, quare, an non abjiciendi sunt tamquam lenones, qui Ecclesiæ pudicitiam doctrinarum suarum illecebris vel ita contaminare impiè conantur, aliis judicandum relinquo, verùm huc istos cœcitatis & dementię perduxit Mœchia spiritualis, ut in omnibus dictis & factis se veros fornicationis filios
Ezech. 16 manifestè ostendant, *ad omne caput viæ*, ô Novator! *ædificasti signum prostitutionis tuæ, fabricasti Lupanar tuum in capite omnis viæ*. semper & ubique intus in domorum & curiarum penetralibus, foris in plateis & compitis scientiam Dei vos habere dicitis zelareque pro gloria domus Dei & puro Evangelio ejus, quod ceremoniarum nebulis squallidum, ex ore quasi omnibus constitutionum humanarum sordibus expurgatum, & solaribus radiatum fulgoribus in lucem suscitare, ac lucernam domui super candelabrum constituere, nec ultra tyrannidem, cui Scriptura subjecta fuit, pati posse jactitatis. His serpentinæ astutiæ sibilis fascinata plebecula non præbere aures nefas ducit, potissimum cùm audiat vestram doctrinam esse verum Evangelium, purum Dei Verbum, & plura ejusmodi quæ

quæ referunt melliti sermones vestri. Sed *nunquid parva est fornicatio vestra: immolasti filios meos, & dedisti illos consecrans eis.* Ezech. 16. Ab ipsis incunabulis Filii Dei, fidelibus Christiano-Catholicis vice lactis venenum propinatis, & ab ipso rationis crepusculo erroneis vestris dogmatibus consecratis victimas, & ideò soli habere omnem directionem Concionũ, Cathechismi, & missionum adlaboratis, sed frustrà. *Nec solùm facta es quasi meretrix ...* sed *quasi mulier adultera. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti cunctis amatoribus tuis, & dona donabas eis ut intrarent ad te undiquè ad fornicandum tecum.* Ezech. 16. Largas ubique per suas apostolas largiuntur Novatores eleëmosynas, ut sic pauperes habeant sibi addictos & suum institutum collaudantes. Amatores suos sive doctrinæ suæ sectatores ubicumque possunt, promovent, nec ullos promotionis alicujus dignos autumant præter Jansenii, Sancyrani, aut Wendrochii discipulos, patuit in tot Monialium Abbatiis, ubi & Confessarii viri pii, docti, electi, fuerunt, sed eò quod non essent Jansenistæ, tàmquam indigni repulsi sunt ab Antistite, & tamdiu Moniales vexatæ, donec jam sub jugo illorum
refor-

reformatorum ingemiſcant. Eodem ex fine de facto Religioſis Monaſterii S. Petri Confeſſarius electus negatur quamvis vir devotus S. T. Licentiatus, ſenio & virtute condecoratus, at hoc obſtat Canonicus regularis eſt, amator veræ doctrinæ: & ut ejuſmodi Magiſtris dogmatum perverſorum ſe conſecrent qui nondum ſunt, larga munera & munia pollicentur. Hanc fornicationem ita gravem eſſe dicit Hieronymus, ut exponens illud & *poſt te non erit fornicatio*, collatione illius omnem deinceps fornicationem leviorem exiſtimari debere dicat & paucis interjectis *quidquid de Hieruſalem diximus*, inquit, *refer ad Eccleſiam, animaſque credentium, quæ munera maritalia, aurum videlicet in ſenſu, argentum in eloquio, & veſtimenta quibus fœditas noſtra ac turpitudo velatur, dant amatoribus ſuis*. Sacramentum Baptiſmi omnibus fidelibus, Sacramentum Ordinis omnibus Sacerdotali charactere inſignitis eſt conjugium ſanctum, Thorus immaculatus. *Deſpondi enim vos uni viro*, inquit Apoſtolus, *Virginem caſtam exhibere Chriſto quod ante promiſerat per Oſeam Deus, ſponſabo te mihi in ſempiternum, ſponſabo te mihi in Juſtitia, & in Iudicio & in miſericordia, & in*

in miserationibus, ſumus Sponſæ Chriſti, quatenùs illius unius Sponſæ Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ membra ſumus. Quiſquis itaquè à Sponſa Chriſti Sancta Catholica Eccleſia ſemetipſum erroneis Doctrinis ſegregat, is à Sponſo ſuo Chriſto ſegregatus eſt, & Thorum ejus immaculatum pollutum duxit, tantoque graviùs mœchatur quàm qui conjugio irretitus alienum Thorum invadit; quantò major eſt Chriſtus Deus, & Homo, quàm quivis alius purus homo. Quàm enormiter igitur huic Præcepto, *non mœchaberis*, adverſetur Adverſarius noſter Legis & Prophetarum ex prædictis manifeſtum eſt, quæ omnia dicta ſicut & cætera dicenda non tàm ego dixi quàm illi quorum verba retuli vel ex quorum verbis fideliter hauſi & oſtendam Authentica.



Adverſarius Legis & Prophetarum ſeptimo Decalogi Præcepto adverſatur.

Non furtum facies.

QUod ſeptimo loco ponitur *non furtum facies* vel hoc nomine non debet aliis

 leviùs

leviùs videri cùm de furto difficilior sit quàm de aliis quibusque satisfactio : nam si quis cædem patraverit, si Thorum alienum invaserit modo justum animo dolorem concipiat jejunio, oratione, eleëmosynâ placatum sibi Deum reddere, peccatique sui veniam impetrare potest; cæterùm, si rem alienam contrectaverit, nihil ei jejunium, nihil orationes, & lachrymæ, nihil profuerint eleëmosynæ. Si non vult quadruplum cum Zacheo restituere, saltem id quod furatus est restituere oportet. Furtim jure meritò quis dixerit Ministris Dei in terra vitam Angelicam ducentibus debitas eleëmosynas impedire, & illis qui duplici honore digni sunt juxtà Apostolum : *quia laborant in verbo & doctrina* nescio quibus convitiis & maledictis omni honore spoliare. Sciunt & obstupuerunt Bruxellenses, dum nuper audierunt scommata illata coram omni populo à juniore Novatore qui vix scit A. B. C. viro Religioso ad nares pro eleëmosyna ut est verus pauper, accedenti. Novatores tam acriter Religiosos omnes insectantur, ut pænè damnatum in Concilio Constantiensi Wiclefi Articulum 34. quoad illos resuscitarent & approbarent si possent,

1. Tim. 5.

dantes

dantes Fratribus mendicantibus eleëmosynam eo facto sunt excommunicati. Sed quam diversa sunt ab Apostolo ejusmodi de Religiosis judicia. *Communicet autem is*, inquit ille, *qui catechisatur verbo ei qui se cathechisat in omnibus bonis.* Quod exponens Hieronymus ait: *his qui adhuc imbecelliores, & Discipuli, & carnales erant imperat ut quomodo ipsi à Magistris spiritualia metunt, sic Magistris carnalia praebeant, qui totos se divinae eruditioni, & studio tradentes, vitae hujus necessariis indigent.* Cui consonat Glossa super illud. *Qui bene praesunt praesbyteri &c. Non enim à populo redditur quasi merces propter quam scilicet finaliter serviatur illis qui sibi in charitate serviunt Evangelii, sed tamquam stipendium datur, quo ut possint laborare, pascantur.* Qui aliquem itaquè justo suo stipendio fraudat procul dubio fur est, *ita enim, & Dominus ordinavit iis qui Evangelium nunciant de Evangelio.* Deindè, *qui non intrat per Ostium in ovile ovium*, inquit Christus, *sed ascendit aliundè, ille fur est & latro.* Novi illi Dogmatistæ prætensi Ecclesiæ Reformatores certè non per ostium intrârunt quia non sincerè tractant Scripturas. His non aperuit ostiarius, hoc est Spiritus Sanctus, non hos approbavit,

Gal. 6.

1. Tim. 5.

1. Cor. 9.

Joan. 10.

 sed

ſed damnavit quoties per Pontifices eorum Dogmata anathemate perculit. Scriptura Doctrinam Hæreticorum aquas furtivas vocat & panem abſconditum. Per aquas furtivas intelligit Iſidorus clariùs dum ſcilicèt arripimus quæ nobis libent, & commoda eſſe videntur. Hoc maximè proprium eſt Novatoribus illa quæ ſibi arrident vel favent arripere, ſivè ex Scriptura ſivè ex Patribus, ſivè ex Conciliorum & Pontificum Decretis, eaque ſummis in cælum laudibus extollere, alia verò, vel tacitè præterire, vel ſiniſtrè interpraetari cùm præterire non poſſunt. Sed an tales minus fures ſunt quàm Hæretici? *Greg. 5. mor. 18.* nam juxtà Gregorium veras divini ſuſurri furtivè ſuſcipit, qui ad percipiendam virtutis ejus notitiam, deſerto publicæ Prædicationis oſtio, pravæ intelligentiæ rimas quærit. *Iob. 24.* Dicitur Hæreticus *per noctem quaſi fur*, quia in nocte dejectionis ſuæ adhuc conſilia perverſitatis præbet occultè, metuens nè deprehendatur. Monialibus & Beginis, aliiſque mulierculis primò ſua dogmata inſtillare conantur Novatores, & hoc non palàm ſed in abſcondito, idque, ut ſibi perſuadent, tam cautè & nè converſatio eorum ſuſpecta & Doctrina

Doctrina odiosa reddatur, passim habent in ore suo axioma illud Abbatis S. Cyrani *Secretum meum mihi propter metum Iudæorum*, *idest Catholicorum*. Arguit olim Deus Prophetas quosdam *quia furabantur verba sua*, quem locum enarrans Hieronymus *semper*, inquit, *imitatur mendacium veritatem*, *& nisi habuerit aliquam similitudinem recti*, *decipere non potest innocentem*. Quemadmodùm igitur in populo Israël mentiebantur Prophetæ illi dicentes *hæc dicit Dominus. Vidi Dominum. Verbum Domini quod factum est ad illum vel illum*. Sic Novatores assumunt Testimonia Scripturarum, furantur verba Salvatoris unusquisque à proximo suo, Prophetis, Apostolis, Evangelistis, Patribus & Conciliis, assumunt linguas eorum, ut cordis venena ore pronuncient adinstar Prophetarum vaticinantium mendacium & prophetantium seductiones cordis sui. Doctrina nostra, inquiunt, Doctrina Augustini est; praxis nostra, praxis primitivæ Ecclesiæ est conformis institutis Apostolicis. Praxis originalis est praxis Apostolorum, praxis omnium Patrum, praxis universalis Ecclesiæ spatio sæculorum ferè duodecim, sic furantur nempè antiquitatem, ut sub

Hierem. 23.
Hieron. in Jerem.

 illius

illius nomine novella sua Dogmata divulgent: dico furantur, non enim competit illis Antiquitas quam quoties pro stabiliendis suis Dogmatibus usurpant, toties silvam alienam cædunt, fontes alienos transvertunt, limites alienos commovent, in alieno seminant, & pascunt, & ideò fures sunt. Est novum Novatoribus terminos pusillorum Ecclesiæ & Monasteriorum hisce turbulentis temporibus invadere, seipsos illis subdolè immiscere hoc solo titulo pretensæ Reformationis, Pastores suis ovibus, oves suis Pastoribus orbare, idque tam liberè, quasi non respiceret Deus. Cæterùm inter omnia furti genera perniciosissimum furtum est alterius nominis vel famæ, quæ quantò magis præ cæteris fortunæ bonis æstimantur, tantò eorum injusta usurpatio seu furtum gravius est. Undè: *tolerabiliores sunt fures*, inquit Ambrosius, *qui vestes & alia bona diripiunt, quàm fures qui famam nostram lacerant.* Et quo major est persona cui famam lædis vel honorem detrahis, eò major est iniquitas. Hinc sanè iniquiùs longè est Communitates integras, putà Ordinem Religiosum vel Societatem integram denigrando diffamare, ejusque famam & honorem

norem furtivè ex hominum animis auferre quàm particulari cuidam detrahere. Sed quid magis familiare eſt Novatoribus? non unum Ordinem vel Societatem, quamquàm & hæc maximè illis præ cæteris odioſa eſt, ſed Religioſos omnes eorum famæ & honori detrahendo proſequi. Vocant paſſim illos Pſeudo-Apoſtolos, Pſeudo-Prophetas, Pſeudo-Chriſtos, lupos, fures, latrones & penetrantes domos ſimiles in hoc porcis qui non parcunt ori ſuo ab immunditia, imponunt Religioſis mala omnia quæ in finali Eccleſia timentur, & hinc probare non erubeſcunt quod è vicino inſtent tempora Anti-Chriſti, & ideò illos nuncupant nuntios Anti-Chriſti; ſed quàm falsè in proximo Præcepto: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*, paucis demonſtrabimus. Nec ſolùm Religioſis, ſed fidelibus omnibus qui non ſecum conſpirant in Novitates ſuas, ſive Laïcis, ſive Clericis, ſive Epiſcopis, ſive Archiepiſcopis, imò ipſi Pontifici Maximo, omnibus, uno verbo, Eccleſiæ membris cum Capite ſuo injurii ſunt & fures furando illis boni nominis famam & honorem. Sed, inquit Bernardus, *ne huiuſmodi linguam mucrone illo quo Dominicum Latus*
confoſ-

confessum est crudeliorem dicere verearis. Fodit etiam hoc corpus, nec jam exanime facit ipsis etiam spinis & clavis nocentior est, quos ei Judaus infixit, nisi enim corporis sui vita vitam istius corporis pratulisset, nunquam illud pro isto mortis injuria tradidisset. Novum hoc Novatorum detrahentium genus præfiguratum puto per illam bestiam de qua legimus Danielis 7. quæ similis erat urso, & habebat tres ordines dentium. Ursus etsi homini similis est, tamen homo non est. Novatores homines esse non videntur, cùm sanguine humano pascantur. In tribus verò ordinibus dentium præfigurantur tres modi quibus proximum lacerant, lacerant enim bona opera aperta minuendo, occulta negando, falsa crimina imponendo. Bona opera aperta minuunt cùm omnes Religiosorum actiones etiam laudatissimas passim vel contemnunt, vel si non contemnunt, quod rarò fit, tàm frigidè de iis loquuntur, ut auditoribus palam fiat quid intus de illis sentiant. dic illis verbi gratia Religiosorum aliquem doctè & solide pro Immaculata Virginis Conceptione perorasse. Opus Monachale est, inquient *het is Monicken werck.* Dic illis tales vel tales tantâ gravitate &

vocum

vocum consonantiâ divinum officium celebrasse. Quid hoc inquient cantus Monachalis erat, *het was Monicken sanck*. Vides? hoc nomine Monachi per contemptum pro diminutivo honoris & famæ Religiosorum passim utuntur. Sed vellem recordarentur illud proverbiorum, *statera dolosa abominatio est apud Deum.* Atque etiam illud Deuteronomii. *Non habebis in sacculo diversa pondera majùs ac minùs &c. Abominatur enim Deus eum qui facit hoc.* Quæ omnia detractori bona opera aperta diminuenti sano sensu accommodari possunt intus in corde tuo stateram habent, sed videant nè dolosa sit, itaut quoties in ea appensus fuerit proximus maximè Religiosus toties inventus sit minùs habens. Talis abominatio enim est apud Deum, videant an non habeant Novatores in sacculo pectoris sui diversa pondera majùs & minùs, id est, videant nè sua magis quàm par est, & aliena opera minùs quàm Christianum decet, extollant, sua semper alienis injustè æquè ac indebitè præponderando. Habent illi *diversa pondera majùs ac minùs*, qui proximi opera non ad trutinam Christianæ Charitatis, sed ad mensuram infernalis odii revocant, quod utiquè

Prov. 11.
Deut. 25.

utiquè faciendo semper ferè quod alienum est rapiunt. Occulta negant: nam si quis ab aliis quidquam præclarè actum narrat, fidem non adhibent, vel si adhibeant non illis vera virtus est, sed ficta & adulterina. Pietatem hypocrisim nominant, misericordiam & liberalitatem, prodigalitatem dicunt, parcimoniam, avaritiam, charitatem benignè pro inordinato affectu esse volunt, sic omni virtuti aliorum larvam quandam appendunt, ut vix ipsa cognosci possit. Nec solùm cum vivis sic agũt, sed etiam cum mortuis. Testes appello infames illas notas in orationem funebrem Illustrissimi Gandensis Episcopi per eximium Patrem d'Oubremont in ejus obsequiis declamatam. Quid his aliud intendunt quàm variis convitiis & maledictis tanti viri memoriam tamquam sopitos jam cineres profanâ manu ventilare & piis manibus sacrilego ausu illudere. Sed vellem ut ejusmodi Gregorio attenderent dicenti. *Multi dum plus vitam Sacerdotium quàm suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur minùs considerantes quod non eos vita Sacerdotum læderet si humiliter bonis Sacerdotum admonitionibus aurem accommodârent.* Quæ si de Sacerdote quopiam vera

sint,

ſint, hæc de Præſule illo vera ſunt, qui manſuetus erat ad omnes, docibilis, patiens, cum modeſtia corripiens eos qui reſiſtebant veritati. Reſpondit jam nunc illi impoſtori, ſutoris filio ſat Bruxellis noto eruditiſſimus D. Theodorus Dolneus Theologus per annotationes ſuas Theologo politicas, has legat Lector & veritatem inveniet. An igitur illos fures malè dixerim qui vivis famam & honorem furantur, mortuos ſepulturâ & quiete privant, dum quæ ſilentio ſepulta erant redivivâ opinione ſed falsâ diffamant, dum deniquè fidelium omnium ſaluti quaſi quidam latrunculi inſidiantur. Quo modo enim proximo falſa crimina imponendo peccent Novatores vel potiùs novelli detractores ſequenti præcepto demonſtrare feſtinamus. His quæ de furto diximus contenti, nè graviora forſan illis dicere cogamur.

Adverſa

Adverſarius Legis & Prophetarum octavo Decalogi Præcepto adverſatur.

Non loqueris contra Proximum tuum falſum teſtimonium.

Hier. ſuper Oſeam

QUemadmodùm teſte Hieronymo *ſimplicitas ſuâ puritate contenta non quærit alienum, neque abrodit, nec ſe in artes vanas ſapè commutat, ſic aſtutia quæ ut quomodò ſit tanta timet omnia, nec ſuis fidet conſiliis verſatque ipſa ſuas ſententias.* Hinc mille ſibi fallendi artes habet & inſidias ſtruit circumueniendi proximum; utpotè detractione, mendacio, contentione contumeliâ, jactantiâ, adulatione, & cæteris vitiis linguæ. Quæ omnia hoc Præcepto octavo prohibentur, cujus Præcepti proindè rei ſunt omnes quicumque vel vitam proximi, vel famam, vel fortunas linguâ ſuâ in diſcrimen vocant, quæ ſæpè mutatas etiam divitum civitates deſtruit ut inquit ſapiens & domos magnatorum effodit, virtutes populorum concidit, & gentes fortes diſſolvit, plures ut per linguam interiiſſe quàm

quàm in ore gladii cecidiſſe videantur, adeò ut rectè eam Jacobus univerſitatem iniquitatis vocaverit inquietum malum, plenam veneno mortifero. Quoad detractionem in præcedenti Præcepto egimus & vidimus quomodò Novatores proximo detrahunt bona opera aperta diminuendo & occulta negando, reſtat inquirendum quomodò detrahant falſa crimina imponendo, quo ſimul utiquè eorum mendacia mundo pandemus. Divus Bernardus primam ſpeciem detractionis numerat, *dum alii quidem nudè ac irreverenter uti in buccam venerit virus evomant detractionis.* Si cuiquam hoc naturale eſt, modernis Novatoribus eſt; nec mirùm, ſolent enim veris ſolidisque argumentis convicti ad convitia, calumnias, impoſturas convolare, & ut lateant variorum ſe latebris contegunt mendaciorum. Ideò qui malè agit odit lucem. Calumnias pro materia, impoſturas, & mendacia pro argumentis aſſumunt. Inſtructor ad Tyronem Theologum ut incauto diſcipulo ſcholaſticos Theologos faciat odibiles. Audite quid non probri comminiſcatur profectum ab illis in Eccleſiam. *Experientia,* inquit, *evidens facit quod ab illo tempore, quo Theologi Ariſtotelíſmis uti cœperunt,*

Bern. Serm. 24. in Cant.

perunt, & relicto antiquitatis tramite modum scholasticum induxerunt, quod inquam variores conversi sunt infideles, inter fideles crassa increvit non satis deploranda ubique ignorantia, Clerus vaniloquus, & inani argumentandi methodo tumidus, à veritate auditum populi avertit, ad fabulas aniles convertit. Undè insultant modò Hæretici Catholicis, & audaciores redditi ex confusione nostra, & ab ipsis scholasticorum scriptis scandalizati nequitiæ seu pertinaciæ suæ incrementum capiunt. In proœmio hujus instructionis scholasticis imputat *quod ea temporum nostrorum calamitas sit ut veritatis semita, quæ primis Ecclesiæ sæculis conspicua docebatur modò investiganda sit non sine multis aberrandi periculis, quod etiam Christi Fides in paucis admodùm subsistat, & quasi obnubiletur quæ olim radiabat ut meridies.* Nunquid hæc præclara? imò verò præclara sunt illa quæ antecessoribus Wicleffo, Luthero, Calvino, Melanthone, mutuavit, qui omnes non tàm citò Ecclesiæ bellum indixêre, quin & Philosophiæ & scholasticæ Theologiæ hostes extitêre. Itanè tu tuique similes aliqui, Auctores scholasticos & omnem veterem litteraturã velletis extincta. Noctuæ non fertis hunc solem, atque ut olim Philistei Hebreis

Ad Regulam.

breis fabros omnes ferrarios atque opifices armorum ademerunt, ne bellare possent aut rebellare; sic vos hæc doctrinæ tela quæ jugulant vana vestra doctrinarum figmenta, sunt etenim inter vos plurimi propriâ opinione sapientes, quorum juxta Clementem Alexandrinum *non parva est multitudo & quæstiones declinantium propter confutationes & doctrinam vitantium propter condemnationem*. Porrò falsa esse Novatorum illa omnia contra scholasticos Commenta Sixti V. Pontificis maximi Oratio perhibet dum ait *Divino illius munere, qui solus dat spiritum scientiæ & sapientiæ & intellectus .... inventa est à majoribus nostris Theologia scholastica & post pauca ...... his verò novissimis diebus quibus jam advenerunt tempora illa periculosa ab Apostolo descripta, & homines blasphemi, superbi; seductores proficiunt in pejus, errantes & alios in errorem mittentes, sive catholicæ fidei dogmatibus confirmandis & hæresibus confutandis pernecessaria est.* Nec solùm scholasticis universim falsa imponere illis satis est, ad particulares descendunt scholarum Magistros ad Religiosos nempè ex quorum scriptis & dictis ingens semper Ecclesia sumpsit præsidium. Illos laxones pro-

Lib. 7. Strom.

Constit. Triumphantis Jerusalem

promiscuè vocant, & laxitatum patronos. quod ut aliquâ apparente veritatis specie populo persuadeant laxiores quasdam & erroneas 65. propositiones ab Innocentio nuper damnatas, illis adscribunt, quorum tamen ipsi authores sunt. Sed nunquid hæc falsa contra proximum testimonia? falsissima sunt, & Reipublicæ maximè perniciosa. Legas refutationem eruditissimi viri Sacræ Theologiæ licentiati Wilhelmi Scandei Anonymi, & errores & detractiones Novatorum patebunt. Dolemus inquiunt aliquandò vehementer pro eo quod diligimus talem Ordinem, vel Societatem, tales ab illis doctrinæ corruptelas doceri, & morum laxitates prædicari. Alii, inquiunt, nobis quidem compertum est illud, sed per nos nunquàm innotuisset: at quoniam per alios patefacta est res, veritatem negare non possumus dolentes, dicimus, *reverâ ita est*. Credite mihi hæc Oratorum Novantium solita peroratio est, ipse aliquandò non sine stomacho propriis auribus audivi. Ad Novatorum contentionem venio quæ illis non minùs familiaris est quàm detractio & mendacium. Contentio impugnationem veritatis extrinsecam importat, verbo importuno, aut cla-

more

more inordinato factam : ejus inordinationem exaggerat, Divus Chrysostomus *Quid verborum telis*, inquit, *jacularis ? Quid contentioso sermone litigas ? Scenè silvester factus es ? asinus aggressis, aut canis rabidus ?* Nuper in Festo Divæ Annæ quidam Novator ut Canis Rabidus multo latratu an ex imperitia quod malim, an ex malitia nescio, contendebat nullum Authorem unquam aliquid nisi fabulosum de gestis ejusdem Matris Annæ retulisse, & hoc unicè ut vitam absconditam in Christo, sivè omnia in spiritu peragi suis Monialibus persuaderet oportere, quæ vulgaris Novatorum cantilena est, sed foras canis ille, qui tantâ contentione tam apertam impugnat veritatem ; non unum, si cupit, sed plurimos adferam in laudes & res gestas hujus Matris effusos, sicut contentione quæ trahit originem ab omnium vitiorum radice superbiâ, & humanæ laudis aviditate quæ aliis invidere consuevit, aliorum facta diminuit, sic propria augent & extendunt per jactantiam, cùm plus de se & suis quam sit aut appareat pronuntiant. In quos illud Jeremiæ quadrat. *Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè, sublimitatem ejus & arrogantiam & superbiam & altitudinem cordis ejus ? ego scio, ait Dominus,*

Hom. 15. super Matth.

Jerem. 48.


F. *jactan-*

jactantiam ejus, & quod non sit juxtà eam virtus ejus. Cui jactantiæ comitem addunt inseparabilem hypocrisim, quæ Novatorum Character est notionalis, quia cùm probè noverint omnibus se vacuos virtutibus, tamen ostentant se quasi aliquid sanctitatis, & eruditionis habeant, atque indè superbire, ac jactabundo corde fimbrias magnificare & philacteria dilatare non cessant. Si quis illos in plateis offendat videt illos prolixâ barba vultu ad omnem honestatem composito, dimissis in terram oculis, toto deniquè gestu corporis gravitatem quandam præ se ferentes. Si loquentes audit, Sacrosancta omnia quæ pronuntiant labia eorum, sed si appenderit ea quis in bilance veritatis & perlustraverit; illa in lucerna equitatis, vereor profectò nè accidat illi quod Joanni accidit cum libro illo sibi ab Angelo oblato, qui devoratus fecit amaricari ventrem ipsius, id est,
Apoc. 10. nè incipiat indolere & ingemiscere quando ceperit ruminare & medullitus introspicere multitudinem vitiorum & perversitatum, fortè etiam lapsus & casus multorum fidelium qui hâc larvâ hypocrisis & simulatæ sanctitatis à Novatoribus conteguntur, quapropter illos strutionibus compa-

comparare cum Gregorio quis vetat, quandoquidem sicut ille speciem volandi habent, sed usum volandi non habent], sic illi cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuant, sed tenere viam sanctitatis ignorant. Adulari fautoribus suis optimè sciunt, quorum auctoritate stabiliendis suis dogmatibus utuntur, hos miris in Cælum laudibus extollunt. Sic instructor ille in sua Instructione Theologica tyroni suo Theologo venerandos facit basiliensis Concilii Patres quos Florentina Synodus execrandos censuit, *ut scandalorum duces, perniciosissimos, miseros ac degeneres filios, pravam, & adulteram generationem, latrocinium ad quod totius orbis dæmonia confluxisse videantur, impios homines à Deo abjectos, & reprobatos omnes & singulos Schismaticos, & Hæreticos, cum Core, Dathan, & Abiron meritam accepturos portionem.* Videtis itaquè quomodo non offendant in verbo Novatores ex adverso oppositè ad illud, *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Videtis quantas lingua eorum suscitet discordias, nutriat odia, accendat furores, quantos errores disseminet, illaqueet incautos, verset dolos, instruat frau-

Lib. Mor. 12.

des, quàm multos nudet & spoliet honore, vulnere sauciet incurabili, damno irreparabili afficiat. Videtis deniquè Adversarium nostrum Legis & Prophetarũ ex toto adversantem octavo Decalogi Præcepto.



Adversarius Legis & Prophetarum nono & decimo Decalogi Præcepto adversatur.

Non concupisces uxorem Proximi tui, non Domum non Agrum, &c.

HIscè duobus ultimis Decalogi Præceptis mandat Dominus non ad externam honestatem modo, sed ad interiorem, spiritualemque justitiam hominis vitam in Lege informari. Nam cum sit spiritualis Legislator, animæ non minùs quàm corpori loquitur, & quia animis nostris lata est lex cælestis, animorum refrenatio ad justam ejus observantiam cùm primis est necessaria. Hinc ille non adimplet mandata Dei, qui etsi gladium ad cædem non exerit, corpus suum cum meretricibus non commiscet, manus alienis bonis non injicit, si cædes totis animis

mis ſpiret, ſi fervet in libidinem, ſi omnium bona retortis aſpicit oculis & cupiditate devorat, Adeòut cum prohibetur concupiſcentia, prohiberi videtur mala dilectio quâ diligitur quod diligi non oportet ut cum dicit lex *non concupiſces*, hoc velle dicere credenda ſit, non diligas quod diligi non oportet. Non oportet autem diligi quod vel in Dei cedet injuriam vel in proximi detrimentum, in tantum quod omnis injuſtitia prohibetur hoc uno verbo *non concupiſces*. Novitas porrò eſt omnis injuſtitia, injuſta eſt illa Deo, injuſta hominibus, injuſta Patriæ, injuſta Eccleſiæ, omni deniquè injuſta & contraria eſt Regimini tàm Eccleſiaſtico quàm Politico. Quis ergò illàm hiſcè duobus ultimis Præceptis ſpeciatim prohiberi negat? Quis Novatores hoc ipſo quo Novatores ſunt horum Præceptorum prævaricatores non eſſe dicat? injuſta eſt Deo Novitas, quia cultum divinum ſivè Religionem turbat. Hominibus injuſta eſt Novitas, quià jugum illis imponit quod neque ipſi neque ulli puri homines Novatorum etiam judicio unquam portare potuerunt. Obligant illos ſub reatu lethalis peccati ad neceſſitatem charitatis,

 &

& quidem justificantis ad omne opus bonum etiam morale. Sed quæ non dubia & scrupulos fidelium mentibus ingerit hæc doctrina? Sub hujus doctrinæ mole, & pondere plurimi succumbunt huic ferendo impares, & publicis reipublicæ oneribus gerendis incapaces. Injusta est hominibus novitas quia illis socialem illum amorem adimit, dum tam exotica & absurda de Sacramento Matrimonii docent quæ non nisi jurgia, & dissensiones pariunt primario familiis, secundario in regnis & Provinciis quæ ex familiis politicè adjuvatis exurgunt. Injusta est novitas Ecclesiæ, nihil enim illi magis contraria quam novitas. Hinc ait Hyeronimus *quisquis es assertor novorum Dogmatum, quæso ut parcas Romanis auribus, parcas Fidei quæ Apostolorum ore laudata est*, Adi Concilium Ephesinum ibi solemni Patrum consensu atque Decreto antiqui dogmatis Religio confirmatur, & profanæ novitatis blasphemia condemnatur, nec aliud quid egit Sacrosanctum illud Concilium *nisi ut expugnatâ novitate*, ut ait Lirinensis, *Antiquitas defenderetur*. Adeò ut passim Ephesini Concilii Patres aliique semper Antiquitatem Ecclesiæ hæreditariam

Epist. ad Damach.

riam existimaverint, undè promiscuè apud Cyrillum & Capreolum Vera Fides antiquitatis nomine condecoratur, & Hæresis novitas vocatur. Quid ergò? numquid Ecclesiæ est injusta novitas quæ illi debitam & hæreditariam antiquitatis dotem auferre molitur? quæ vult novitia superfluè adinventa & impiè promulgata confirmari, & antiquæ fidei dogmata reprobari atque damnari? injustum quippè est alienum auferre, & quod alterius est tamquam si suum foret sibi vendicare. Injusta est novitas Ecclesiæ in eo quod prætendat illius reformationem: quia ut, aiunt, *præsens Ecclesiæ corpus non potest Ecclesia censeri alio censu neque alia de causa, quàm quod in locum successerit veræ Ecclesiæ, similiter ut si aqua feculenta & corrupta alveum fluvii occupanti, qui olim fluxisset vivus limpidus ac salubris, nomen daretur ejusdem fluvii.* quod autem de facto Ecclesiæ reformationem Novatores attentârint ab initio enascentis hujus Novitatis Jansenisticæ unum adduco ex multis testem, Sortinum Regium in Gallia Consiliarium. Sic ait, l'on connoît de plus en plus que si ces Heretiques Jansenistes pouvoient, ils feroient . . . . une au-

Maximes de l'Abbé S. Cyran pag. 08 4.

tre Religion & une autre Eglise : comme le Feu Abbé de Saint Cyran leur Cheff en France le pretendoit, ayant dit à Feu M. Vincent digne de foy qui me l'a dit en presence d'une personne de grande condition qui peut le têmoigner, *que depuis plus de six cens ans il n'y avoit plus d'Eglise, qu'elle êtoit autrefois une claire fleuve coulante, & que maintenant ce n'êtoit plus que de la boue & que Dieu l'avoit choisi & instruit pour une nouvelle Eglise.* Ad longum hæc refero, ut quam injusta sit Ecclesiæ Novitas omnibus palam fiat, & omnes videant an non alienum concupiscant contra ultimum Decalogi Præceptum Novatores, dum fætulentæ & turbidæ suæ doctrinæ puri Evangelii nomen tàm impudenter affectant. Injusta deniquè est Novitas Patriæ, & universo regimini tàm Ecclesiastico quàm Politico, dum Religionem avitam impugnat quæ juxtà Plutarchum est *vinculum seu coagulum omnis societatis, & justitiæ firmamentum.* Nempè dum una est & uniformis in republica. *Unionis autem auctor illa una* inquit Lipsius, *& à confusa ea semper turba, ubi mota hæc anchora & non simul turbata reipublica navis? Et ratio hoc ipsa vult, ut*

Rêponse à l'insolente Apologie. cap. 10. pag. 126.

Lipsius civilis doct. lib. 4. c. 9.

in externis istis rebus facilè promptèque dissideant, qui in sensu interno & in salutis ipsa summa Odium imò vulgò à Religionis dissidio quasi in impios aut profanos nec lædere eos veremur quos læsisse Deum ipsum arbitrantur. Pergit Politicus noster, *ego quidem*, inquit, *& sani sanctique homines mecum ita sentiunt, quid magis animos alliget quàm unus Dominus, una Fides, unum Baptisma?* Hic amor, hic charitas, & hi tales *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* Sed lubet paululùm cum Politico divagari. Dic amabo quisquis es, in Lucretio non legisti,

Idem adversus Dialogistam.

Ephes. 4.

quod sæpius olim.
Religio peperit scelerosa atque impia facta.
Item: *tantùm Relligio potuit suadere malorum.*

Varietas Religionis, dissolutio Religionis, volve revolve Annalium monumenta, nullum Regnum unquam stabile invenies ubi in dissidiis Religionis, & doctrinæ ij qui reguntur, semper enim partes factionesque erunt, quæ juxta Livium fuere *eruntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa quàm fames morbivè quaque alia in Deum iras, velut ultima publicorum malorum vertum.* Nosti, ut opinor, ventosa

Lib. 3.

ventosa illa, & prava nostrorum Novatorum ingenia. Homines sunt saturnii queruli, & ut Philonis verbis, utar *malè affecti ergà Patriæ instituta, & in reprehensionem semper legum accusationemque intenti.* Antiquos inquiunt Ecclesiæ instauramus Canones ac primitivorum fidelium praxes. Dicam ego novam & aliam volunt parturire Ecclesiam, sed quomodò non laborabunt adhuc in partu tanti monstri nihil magis odiosum in republica quàm reformatio Religionis. Exemplum sit sanior pars Belgii antequàm reformatæ Religioni colla subdidit quanta mala non pertulit ideò à fallacibus eorum persuasionibus abhorrendum est qui in ore semper habent reformationem Ecclesiæ, cujus ortus plerumque secum invehit occasum reipublicę. Speciosum Religionis nomen ab ejusmodi Reformatoribus usurpatur ad tegendas imposturas impietatis. Hinc qui *periti sunt justè pro veritate contendunt, qui errore contra imbuti sunt pertinaciter & sapè ex malitia subsistunt, seipsos prædicant humanis aliquandò doctrinis validi, falsa pro veris obtrudunt, simplices veritatis amatores contemnunt, interim factiones fiunt, schismata oriuntur; pugnæ ex scintillis discordiæ incenduntur*

[Margin: *Philo. de confus. lingua-rum.*]

[Margin: *Tholos. de Repub. lib. 2. cap. 4.*]

duntur, quæ non nisi post multas clades extinguuntur. Vides itaquè ni fallor, quod Novatores vel novelli Reformatores, dum novitatem concupiscant & ad reformationem aspirant, quod simul & semel uxorem proximi sui, & domum & agrum & servum & ancillam & bovem & asinum & universa quæ illius sunt concupiscant, quatenus sacra & prophana omnia Aras & focos communi ruinæ exponunt. Quæ mala non minùs pacis quàm belli tempore metuenda sunt, dum bellum viget & hostis in interiora Patriæ viscera ferro & igne grassatur, dissensio Civium irruentis Reipublicæ præsagium est, quandoquidem facilè vis dispersa frangitur, & ut inquit ipsa veritas *Regnum in se divisum desolabitur.* Pacis verò tempore discordia animorum quam facit dissensio Religionis, instantis belli si non externi saltem civilis & interni judicium est si non fomentum, quo nihil miserius, nihil fœdius, & quod meritò mare ipsum dixerim calamitatum, ad hoc ferum & execrabile bellum viam sternit, & provocat qui in Religione novitatem invehit. Dissentio etenim Religionis concomitantem habet contentionem in ore, & discordiam in corde, quæ duo inter Cives odium

odium pariunt quod odium hinc indè illos ad convitia, & maledicta excitat, ita ut quidquid furor & ira suggerit liberè effutiant maximè Novatores sapientes illi de via clamosi quibus cerebrum omne est in lingua quo tandem accidit quod ait Curtius *Sapè linguæ temeritas pervenit ad gladios*. Et sic fiunt discordiæ civium ut ait Poëta

Curt. lib. 6.

publica belli.
Semina quæ populos semper mersere potentes.

Luc. 1. Sed qui talium malorum in Republica est author, qualis est Novator, hominem nefarium appellat Homerus, *eum que ex numero hominum ejiciendum ex finibus humanæ naturæ exterminandum dicit*. Tullius. Authores sacros prætereo, politicis contentus, dum ad politicos dico, sed non solùm *privatos focos, ut ait Homerus, nec publicas leges, nec libertatis jure cara habere potest, quem discordia, quem cædes civium, quem bellum civile delectat*, vel huic suis reformationibus, & novitatibus ostium pandit, sed adversandi decalogo omnem salutem temporalem à Republica avertit ut insinuat Dominus *utinam*, inquit, *attendisses ad mandata*

Iliad. 1.

Philip. 12.

Isaïe. 48.

data mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris. Omnibus dein ad salutem violatio Decalogi aditum intercludit, & qui huic adversantia docet, omnes à scopo aberrare facit dicente Domino, *si vis ad vitam ingredi serva mandata.* Atque hisce finem facio, & adversarium Legis & Prophetarum paucis sed veris coloribus quasi in rudi tabella depictum maturiori vestro judicio considerandum relinquo. Sed inquiet forsan aliquis durus est hic sermo quem de Novatoribus loqueris, dum illos adversarios Legis & Prophetarum apellas, Tametsi enimverò Decalogo per omnia adversentur, non ideò Legis & Prophetarum adversarii dicendi? Itane? An nescis quia in hisce Præceptis universa Lex pendet & Prophetæ. Quidni ergò illos qui horum prevaricatòres sunt, ut vidimus, Legis & Prophetarum Adversarios dixerint. Nec solùm Legis & Prophetarum Adversarii dicendi, sed nec Homines dici possunt sine Decalogi observatione ut inquit Ecclesiastes. *Deum time & Mandata ejus observa hoc est enim omnis homo.* Quid brevius ait Augustinus *verius salubrius dici potuit? Deum inquit time, & Mandata ejus custodi quia hoc est omnis Homo,* Cap. 12.

Homo: quicumque enim est hoc, est custos utique Mandatorum Dei: quoniam qui hoc non est, nihil est. Non enim ad veritatis imaginem reformatur remanens in similitudine vanitatis. Augustino consonat Chrysostomus Homilia 12. ad Populum qui cupit plura legat, sed quandòquidem *ex ore duorum vel trium Testium stet omne verbum* legas duas Epistolas eorum quæ à me dicta sunt confirmatorias, Alteram ex Divi Pauli, alterem ex Magni Augustini Scriptis collectam. Vale.

August. lib. 20. de Civit. Dei cap. 3.

Vidit & Appprobavit A. H. Librorum Censor. Actum 24. Sept. 1679.

